
1650: SIGILL: COLL: HARVARD: CANTAB: NOV: ANGL:
CHRISTO ET ECCLESIAE
From the Library Fund Subscribed in 1842. Recd June 14, 1844

DE ORATIONE

QUAE INSCRIBITUR

PRO M. MARCELLO

CICERONI

VEL ABIUDICANDA VEL ADIUDICANDA

QUAESTIO

NOVAQUE CONIECTURA

PRO

SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS

RITE CAPESSENDIS

CONSCRIPSIT

AUG. LUDOV. GUIL. IACOB.

BEROLINI ET HALIS

IN BIBLIOPOLIO ORPHANOTROPHEI

MDCCCXIII.

VIRO

MAGNIFICO ILLUSTRISSIMO

DOCTISSIMO

AUGUSTO HERMANNO NIEMEYERO

ACADEMIAE FRIDERICIANAE HALENSIS
CANCELLARIO ET RECTORI
THEOLOGIAE DOCTORI ET PROFESSORI
PUBL. ORDIN.
SEMINARII PAEDAGOGICI, ORPHANOTROPHEI
ET PAEDAGOGII REGII DIRECTORI
REGII ORDINIS CORONAE GUESTPHALIAE EQUITI
CET. CET.

FAUTORI SUO

HUMANISSIMO LIBERALISSIMO

SUMME VENERANDO

PRO

MERITIS DE SE

INNUMERIS AC PRAECLARISSIMIS

ANIMUM IMMORTALITER GRATUM

TESTIFICANS

HUNC LIBELLUM

D. D.

AUCTOR.

LECTORIBUS

S.

Quod fere accidere solet, si quis videtur rem suis viribus maiorem suscepisse, ut de eo iniquius praeiudicetur: id nonnunquam vereor, ne in hac re mihi accidat. Nam certo multi, huius libelli titulum legentes, quod, in quo tales ac tanti viri elaborarint, Wolfii, Spaldingii, Weiskii, in hoc ego ausus sim virium aliquod periculum facere, adolescens nullo nomine, cum improbatione quadam mirabuntur, vel etiam graviter reprehendent, quasi factum arrogantius. Nimirum has disceptationes, singulariter impeditas et difficiles, non cuivis uni adeundas, sed relinquendas esse viris talibus, quales illos deveneramur, gravibus sapientia et auctoritate, iudicio excellentibus, doctrina uber-

rima et subtilissima instructis. Atque sic et ego censeo, cum id agitur, ut de illis sententia ultima feratur ac definitiva; a quo meum, quo constituebam de hac re scribere, plurimum sane differebat consilium. Nam cum, abhinc annos fere tres, in celeberrima academia Halensi summos philosophicos honores petiturus mihi causam exquirerem, de qua ex antiqua lege disputarem: ipsam hanc demum recepi hac mente, ut, quae viri docti de ea in utramque partem protulissent, argumenta integre conferrem iisque censendis et expendendis, si possem, id efficerem, ut omnem tandem aliquando certius tum cognoscere liceret tum iudicare. Neque id, puto, ineptum existimabitur. Nam quando isti labores non sunt ideo instituti illorumque honorum candidatis impositi, ut opera numeris omnibus absoluta conficerent, verum ut ingenii ac disciplinae quaedam specimina darent: quaenam causa potest aptior esse nostra, efflagitante vel ad res plurimas et diversissimas bene aestimandas animum nec natura neque arte plane neglectum, vel ad singula tum penitus pernoscenda tum lucide ordinanda assiduitatem ac diligentiam indefessam, vel denique tranquillitatem animi et integritatem ne clarissimorum quidem

virorum auctoritatibus corruptam? Hoc vero posteaquam mihi persuasi, nihil me commoverunt, qui in hoc id esse vitii monebant, quod nihil nec laudare possem neque improbare, quin facillime, (nisi utrique parti, at certe semper alterutri displicens,) levitatis cuiusdam et arrogantiae reprehensionem et multorum etiam offensionem contraherem. Namque istam quidem reprehensionem non arbitrabar mihi ita metuendam, dummodo, quaecunque haberem et modeste proferrem et iustis rationibus confirmarem; de doctorum virorum offensione vero habeo persuasissimum, ut quisque sapientissimus sit ac praestantissimus, ita eum aliter sentientibus minime irasci, quin etiam velle quam maxime, cum alibi iam fere nulla sit, in literis certe plenam vigere libertatem. Sed insuper, ut verbis Wolfii utar, simplicissimis et dignissimis: „in his quaestionibus sermo de rebus est, de criminibus est, de causa est: id quod Gesnerus quoque, liberaliter eruditus, et intellexit et ubique tenuit, semel directe professus, non cum quoquam homine sibi negotium esse, nec adversus virum doctum, sed adversus rationes eius suscipi disputationem." (Cic. oratt. IV. ed. Wolf. pag. XXVI.) Verum de causis, cur

hunc potissimum laborem susceperim, satis, opinor, dictum est; restat igitur, ut de eius confectione pauca edoceam. Etenim, cum ob proxime instantem meum Halis decessum infirmamque valetudinem a spectatissima amplissimi Philosophorum ordinis benignitate facile impetrassem, ut dissertationem otio secundiore dato conscriberem offerendamque curarem: accidit, ut primum itinere vitaeque ratione commutata, tunc tristissimis calamitatibus, denique morbo ab iis laboribus aversus annum praelapsum viderem, neque ad ea, quae debebam, solvenda quicquam confectum haberem. Nec vero iam et hanc temporis diuturnitatem contemplanti mihi brevem dissertatiunculam proferre aequum et res ipsa esse eiusmodi videbatur, quae accuratiorem plenioremque tractationem imprimis postularet. Nam si hoc omnibus debet esse propositum, ut ne, quid ipsum laudandum et expetendum quidque vituperandum sit, male dubitemus: doctis certo nihil esse potius et gravius potest, quam ut odiosa illa de plurium librorum graecorum et latinorum integritate dubitatio quam primum argumentis, quae in utramque partem exstant, accurate recognoscendis, vel diminuatur vel, si pos-

sit fieri, omnis tollatur. Atque istos libros oratio pro Marcello haud dubie tum maximo numero hominum, ad quos res attinet, tum splendidissimis doctorum virorum, qui de ea disceptavere, nominibus, tum ipsius disceptationis vehementia et ratione impeditissima omnes superat. Quanquam enim *Wolfius* Vir doctissimus et praeclarissimus suam eius accusationem severissimam (cf. eius: *M. Tullii Ciceronis, quae vulgo fertur, orationem pro M. Marcello. Berol.* CIↃIↃCCCII.) maxima et plane singulari sagacitate instituit et doctrina; attamen tantum abest, ut omnibus orationem supposititiam esse persuaserit, ut pauci admodum, ut videtur, ei prorsus assentiant; longe plurimi aut, quid de re habendum sit, dubitent etiamnunc, aut adeo firmiter, illam iniuste accusatam vereque bonam et Tullianam esse censeant. Neque id mirum. Nam si eos mittimus, qui omnino errare, quam sese errasse intelligere confiterique malunt, homines non veritatis, sed sui cupidos; at omnes, quae admirari consuevimus ac diligere, nonnisi aegerrime pro malis habere et contemnere discimus. Atqui Marcelliana haec est oratio, quam omnes omnium seculorum homines acutissimi et doctissi-

mi maximopere laudarunt, quam plerique pueri in scholis tanquam pulcherrimum acceperunt eloquentiae Tullianae exemplar, quam exinde in deliciis habere soliti sunt ipsique rursum egregiis cum laudationibus pueris explicarunt; et eam iam habere debeant „Orationem inanem rerum; verbis, formulis, constructionibus saepe vix Latinam, in tota compositione ineptam, stultam, ridiculam; denique fatuo principe, Claudio, quam Cicerone digniorem?" (Wolf. pag. XXXVI.) imo vero etiam si haec in ea vitia ipsi vellent videre sibique proponerent, equidem haud mirarer, si, multi certe, non possent. Sed, quod gravissimum est, non hoc plurimorum orationis studium solum et vetus admiratio tantopere obfuit Wolfio eam accusanti; verum etiam argumenta sunt multa et gravia, quibus magna pars criminum illorum plenissime refelli videatur. Atque ea primus studiosissime collegit atque in vulgus edidit *Ol. Wormius* V. cl. in libro, quem inscripsit: *M. Tulli Ciceronis orationem pro M. Marcello νοθείας suspicione, quam nuper iniiciebat Frid. Aug. Wolfius v. cl., liberare conatus est Olaus Wormius. Havniae MDCCCIII.* Huius autem viri orationis defensionem multis argumentis

etiam auxit et corroboravit *Weiskius* V. cl., iam mortuus, in *commentario perpetuo et pleno in orationem M. Tullii Ciceronis pro M. Marcello. Lips.* CIↃIↃCCCV. Quibus libris, doctissime et diligentissime compositis, cum sententia Wolfii videretur in magnam apud plerosque dubitationem adducta esse: *Spaldingius* V. cl., quem eundem nuperrime mortuum lugemus, publicavit *de oratione pro Marcello disputationem* in *Museo antiquitatis studiorum op. Frid. Aug. Wolfii et Phil. Buttmanni vol.* I. *fasc.* I. 1808. hoc consilio, ut „aliquot in contrarium allata argumenta diluendo, superaret magnam illam tot litteratorum reiiciendae huius orationis verecundiam." pag. 83.

Hos igitur in hac causa libros habemus, haec nomina: quae quoniam sunt virorum et videre et visa verbis exprimere perfecte scientium, mirum videatur, quod de ea tanta adhuc dubitatio sit tantaque obscuritas; sed, praeterquam quod res incommode pluribus libris tanquam distrahitur ac distinetur, hoc dicas inde profectum esse, quod viri docti neque omnes eandem in argumentando rationem secuti et, orationis defensores maxime, adeo non certo quodam consilio rem omnem com-

plexi sunt, ut plerumque in singulis haerentes ne sibi quidem ipsis semper constiterint (cf. lib. Wormii pag. 21. 22. et 23. de orationis longitudine et 25 — 27. de Marcello talem orationem edi nolente et 33. verba: „venerat in senatum ... cum illis pag. 35.": Potuit etiam fieri, ut ex Tachygraphis ...! et lib. Weiskii pag. 49. et 50. de testimonio Plutarchi et 58. et 61. de orationis argumento et inscriptione); nedum aliis rem ita explicarint, ut possint clare, utra in parte ius ac veritas sit, perspicere. Quae ego considerans, cum ipsam quaestionis nostrae dispositionem atque institutionem praecipue gravem esse intelligerem, post longam de ea cogitationem optimum habui, quatuor, in quibus mihi res omnis versari visa est, locos constituere: ac primum quidem *de testimoniis*, quae nostram orationem aut genuinam esse confirment aut supposititiam; alterum de *historia illius aevi*, cui oratio, si vult genuina existimari, necesse est congruat; tertium de *ipsius Ciceronis ingenio et moribus*, a quibus oratio ei merito adscripta non potest abhorrere; quartum denique *de genere scribendi*, quod nisi Tullianum est, oratio esse Tulliana nequit. Hoc autem facto et, quaecunque in

tota oratione ad eundem pertinere locum iudicavi, et quae a viris doctis de eadem re dispersim disputata reperi, quo facilius esset ea uno in conspectu videre, omnia composui deindeque, ut ipsorum natura postulare visa est, censui; ad *scribendi genus* autem aestimandum, cum non sim totam orationem editurus, prima IV eius capita perlustravi. A qua causae institutione non me avertit, quod in ea parum, quid ipsum ego profecissem, dignosci posse videretur; nam si hoc est tam exiguum, ut, nisi studio quodam singulari distinctum a ceteris ac separatum, haud plane animadvertatur: equidem id non facio tanti, quod propter, re aliter instituta, in molestas eiusdem rei repetitiones, incommodas correctiones, quin multorum etiam omissiones incidam. Sin autem, quod summopere exopto, paullo felicius operam in hanc rem contuli: etiam nunc facile aestimabitur ab iis quidem, qui rem omnem habent accurate cognitam, atque hos tantum de ea recte et iure quodam suo ferre iudicium puto. Nec vero magis, cum, in rebus quidem semper religiosissimus, in doctorum virorum ipsis verbis et nominibus ad eorum sententias adscribendis nonnunquam sim aliam rationem secutus, me-

tuo, ne vitio mihi detur, quod e mea dissertatione parum, quam illorum unusquisque in hac causa versatus quamque de ea meritus sit, eluceat. Namque hoc minime volui examinare; sed, ut dictum est, unum id spectavi, ut omnia in hac re argumenta ita componerem ac percenserem, ut lis impeditissima cum a quovis, scilicet laborem non fastidiente, clare cognosci posset, tum ab iis, quorum hoc esse videretur, penitus diiudicari.

Atque haec habui, quae de hoc libello praemonerem; quem quidem non iam edo, quia sic perfectum iudicem, ut eum, si diutius pertractarem, non possem magis perficere, (a qua opinione ego profecto longissime absum, qui, eo quinquies vel sexies denuo retractando optime viderim, quam haec tempore maturescant); sed iam eum, tam diu promissum, diutius retinere nefas habui. Quamobrem, si qua, praesertim in nova mea de hac oratione coniectura, minus probata erunt: viros doctos etiam atque etiam rogo, ut sese eorum iudices aequos et benignos praebeant.

Scribebam Gedani. Iulio MDCCCXII.

Initium huius quaestionis ex instituto nostro hinc facimus, ut, quae viri docti de ea in utramque partem adhibuere, *testimonia* conferamus eaque, qualia vere sint quidque probare videantur accurate examinemus. Atque in iis invenimus unum gravissimum ipsius Ciceronis epistolam ad Ser. Sulpicium (famm. IV, 4.) *Uno te vincimus; quod de Marcelli, collegae tui, salute paullo ante, quam tu, cognovimus: etiam mehercule, quod, quemadmodum ea res ageretur, vidimus. Nam sic fac existimes: post has miserias... nihil esse actum aliud cum dignitate. Nam et ipse Caesar accusata acerbitate Marcelli, (sic enim appellabat) laudataque honorificentissime et aequitate tua et prudentia, repente praeter spem dixit, se senatui, roganti de Marcello ne hominis quidem causa negaturum. Fecerat autem hoc senatus, ut, cum a. L. Pisone mentio esset facta de Marcello, et cum C. Marcellus se ad Caesaris pedes abiecisset, cunctus consurgeret, et ad Caesarem supplex accederet. Noli quaerere: ita mihi pulcher hic dies visus est, ut speciem aliquam viderer videre quasi reviviscentis reipublicae.*

Itaque, cum omnes ante me rogati gratias Caesari egissent, praeter Volcatium, (is enim sic eo loco negavit se facturum fuisse), ego rogatus mutavi meum consilium. Nam statueram, non mehercule inertia, sed desiderio pristinae dignitatis, in perpetuum tacere. Fregit hoc meum consilium et Caesaris magnitudo animi et senatus officium. Itaque p l u r i b u s v e r b i s *egi Caesari* g r a t i a s: *meque metuo ne etiam in ceteris rebus honesto otio privarim; quod erat unum solatium in malis.* cet. Clarissime apparet ex his, Ciceronem Caesari de Marcello restituto gratias egisse; at vero hanc orationem, tantum abest, ut omnes credant iis Tullianam declarari, ut eius adversarii, partim ad has ipsas literas a rhetore aliquo conscriptam censeant, (Wolf. pag. XXV.) partim iis potissimum falsam et subditivam argui dicant, velut Spaldingius, cuius haec verba sunt in libro l. pag. 79 et 80.: „Mihi quidem in frequentissimo huius formulae, *pluribus verbis, multis verbis*, usu vix ullus demonstrari posse locus videtur, ubi sermo tantus, quantus efficit orationem, indicetur... Negat sane Wormius, si quid modo blanditiarum, demerendi Caesaris causa, in senatu expromsisset Cicero, fuisse quare se sibi silentii opportunitatem in posterum abstulisse diceret; igitur vel hoc epistolae illius (4, 4) dicto omnem nimiam sententiae in Curia latae brevitatem excludi. Sed hoc nequaquam persuadet. Is enim, qui adhuc obfirmato silentio animum alieniorem testatus erat, brevi quoque benevolentiae et admirationis significatione ... debuit invitus quasi restitui in illam potentis hominis familiaritatem, quae

iam pristinam illam taciturnitatem eriperet.“ Ac de hoc quidem viro cl. facile assentimur; quod vero ei de usu formulae *pluribus verbis, multis verbis* visum est, nescio an nemini persuadeat. Sed de hoc paullo accuratius agendum. Nimirum Spaldingius, quibus confirmet, illa formula non sermonem tantum significari, quantus orationem efficiat, multa loca ex Tullianis tum orationibus tum epistolis affert iisque tanquam consequentiam aliquam adiicit: „apparet plerumque de litteris vel de sermone familiari usurpari formulam.“ quibus non puto virum cl. dixisse, hac formula de aliis rebus esse rarius seu cautius utendum; siquidem rei natura docet, de quibus *agere paucis* aut *pluribus verbis* liceat, de iis prorsus pariter et *dici* posse *paucis* aut *pluribus verbis* actum esse. Verum id sine dubio parum apte fecit Spaldingius, quod e locis, in quibus illa *pl. v.*, *multis v.* de sermone familiari vel de epistolis leguntur, statuere de oratione conatus est. Nam sermonis quidem familiaris omnino difficilius sit modum certum et ambitum definire; epistolae vero, cum natura esse breviores soleant quam orationes: intelligitur, nec fere in istis *pluribus verbis, multis verbis* hanc inesse vim, ut de iis adhibita sermonem tantum, quantus efficiat orationem, indicent. Quapropter his locis valere iussis, iam de iis videamus, in quibus illa de orationibus dicta sunt. Atque in iis laudatur orat. pro Rabir. perd. II, 2., ubi Cicero dicit semihoram sufficere ad Rabirium defendendum, nisi forte T. Labienus de locis religiosis *pluribus verbis* sibi respondendum putet. Hic ergo formulam *pluribus verbis* ser-

monem debemus tantum intelligere, qui nequeat intra semihoram perorari; deinde vero illa iubemur inspicere pro. Cluent. c. LIX. *ut existimetis necessario me de his rebus, de quibus iam dixerim, pluribus egisse verbis* i. e. LVIII. fere capitibus! Marcelliana vero, qualem nunc habemus, XI. capitum est oratio, ut, secundum haec quidem, non videatur ideo suspecta, quod longior, sed quod brevior sit, quam quae illis *pluribus verbis egi gratias* indicetur. Verum additur ad locum ex orat. pro Cluent. cautio: „In hisce Cluentianis, si maxime verbositas quaedam declaratur, est tamen nonnisi tamquam partis in toto aliquo.“ Quae qualiscunque est, contra nostram orationem certe minime est excogitata; quippe cuius eiusdem, ut videtur, pars tantum significetur illis *pluribus verbis egi gratias;* pars sit de insidiis Caesari positis.

Sed videbunt omnes, hoc modo nihil in hac re profici. Namque illius formulae usus haudquaquam est certis quibusdam finibus circumscriptus, sed sermonem aeque amplissimum et angustissimum complectitur; sicuti imperator, qui milites, antequam proelium commisere, brevi adhortatione confirmavit, eos *pluribus verbis* confirmasse dicitur itemque orator, (ut Cicero isto in loco,) oratione quam longissima habita, ipsam longitudinem quodammodo occultans iure suo dicit: *pluribus verbis* de hoc mihi agendum esse duxi. Nec tamen ratione tam varia et infinita prohibemur, ne, quem fere illa formula *pl. v.* quovis in loco modum et ambitum sermonis significet, cognoscere queamus; quin imo . ebus, in quibus ea facta esse

discimus, temporibus, hominibus, aliis omnibus accurate conferendis hoc arbitror posse tam certo comperiri, ut vix quicquam desiderandum restet. Quod cum mihi persuasissem, de istis *pluribus verbis egi Caesari gratias* mecum sic cogitavi: Epistola illa scripta est Ser. Sulpicio, homini tum auctoritate gravissimo, tum moderatione et prudentia ea praedito, ut, quamvis et esset Pompeianus et haberetur, (famm VI, 6.) nihil tamen unquam nec pro Pompeio cupidius, neque adversus Caesarem acerbius faceret. Cum hoc autem viro Cicero civili bello exardescente multum de rep. conquestus fuerat, saepius affirmans, *nihil iam utrique honestum esse, nisi otium; rebus gerendis interesse vel periculosum videri vel etiam turpe,* (famm. IV, 1. 2.) eiusdemque nolentis paullo post cum ipso in castra Pompeii discedere, vehementissime ignaviam et in re optima lentitudinem accusaverat. (ad Att. X, 15.) Sed enim Pompeio victo et mortuo, quoniam Cicero non is erat, qui nesciret in rebus, quas non posset mutare, sese facile consolari atque insuper, qui displicere victori Caesari auderet: quo, ut ipse dicit, (in ep. nostra), huius offensionem effugeret, in restitutione Marcelli, antea dictorum et factorum suorum omnium oblitus, partes suas oratorias recepit; Sulpicium vero, cuius in hoc tacitas cogitationes non potuit non timere, de eo sic facere certiorem instituit, ut ei, si non posset omne inconstantiae cuiusdam crimen a se repellere, at certe nihil fecisse cupidius et immoderatius videretur. Atque ita in hac epistola prudenter sane de sua se gerendi ratione commutata

non sic scribit, tanquam sese de ea velit defendere aut ab aliqua culpa liberare; sed eam quasi praetereundo commemorans, Sulpicio maxima cum laetitia restitutionem M. Marcelli, eius in consulatu collegae nuntiat idque hoc modo, ut, quae mera de hac re narratio videatur, aptissima ipsius inconstanter facti excusatio sit ac defensio. Nam de *summa illius diei pulchritudine ac dignitate*, de *specie reipubl. reviviscentis*, de *Caesaris magnitudine animi*, *moderatione*, *bonitate*, denique de *senatus studio maximo et officio* sic praedicat, ut ne morosior quidem iudex eum, si hoc die non plane tacuit, condemnare posse videatur; ac post haec omnia, quid tot rebus modo non coactus ipse fecerit, cunctanter quodammodo (attente relegi epistolam velimus) et moderatissime effatur: *Itaque pluribus verbis egi Caesari gratias;* quibus quidem, quasi eum subito facti poeniteat, sed vere, opinor, voluntatem suam penitus conversam necessitatis specie quadam excusaturus addit: *meque metuo ne etiam in ceteris rebus honesto otio privarim, quod erat unum solatium in malis.*

Nescimus, quid Sulpicius haec legens cogitaverit; nobis quidem modus et ambitus illorum *plurium verborum* ex iis videtur facillimus inventu. Etenim aut putabimus Ciceronem istam *diei pulchritudinem* ac *dignitatem*, *speciem reip. reviviscentis*, *Caesaris magnitudinem animi* cet. supra veritatem auxisse: id vero si fecit, (praesertim ad hominem, cui eadem in epistola, ipsum honorificentissime a Caesare de prudentia et moderatione laudatum esse, perscripsit,) aperte

id fecit hoc consilio, ut in verbis a se factis nimietatis cuiusdam culpam minueret; aut putabimus illa omnia vere fuisse tanta tamque egregia: tunc vero, quis persuadeat sibi Ciceronem, qualem et hominem cognovimus et oratorem, eo die breviter potuisse parceque dicere? Sed praeterea cogitandum, quod Cicero in eadem epistola prae se fert: *in hac sum sententia, nihil ut faciamus, nisi quod maxime Caesar velle videatur.* Etenim si hic minime sane voluit, eum, oratorem promtissimum et copiosissimum, post diuturnum silentium, brevius et tanquam invitius verba facere: quis dubitet, quin tot illo die verba fecerit, quot facile, si scribebantur, orationem efficerent?

Ab his tamen vehementer discrepant illa Wolfii v. cl. „Plutarchum si audimus, testimonio, quo nullum locupletius optari potest, planissime apparet, illa *plura verba* non explesse modum iustae orationis, quae deinde posset litteris mandari. Testis ipse Caesar est. Nam quum brevi post restitutum Marcellum Cicero pro Ligario dicturus esset, quo tandem pacto potuisset Caesar iis verbis uti, quibus tum usum prodit Plutarchus: (vit. Cic. pag. 880:) τί κωλύει ΔΙΑ ΧΡΟΝΟΥ Κικέρωνος ἀκοῦσαι λέγοντος; Audierat scilicet paucis ante mensibus dicentem *pro Marcello.*" (pag. XXVII.) At equidem hoc omne testimonium, (non Caesaris, sed Plutarchi Weisk. pag. 49.) reiiciendum habeo. Etenim, ex quibus illud de oratione nostra coniiciunt, haec a Plutarcho non pro veris et certis traduntur, sed verbo λέγεται, (cf. l. l.) ea ferri inter homines, esse narratiunculam indicatur; narratiunculâ vero adeo incertâ quis conce-

dat in hac quaestione posse quicquam probari?

Verum ne ii quidem, qui, faciliores quam nos, illud accepere testimonium, orationem eo suspectam habuerunt; uti Wormius haec pronuntiat: (pag. 23.). „Ex alio prorsus genere erat oratio pro Ligario, quam gratiarum actio pro Marcello. Illa habenda erat in foro, ubi domicilium erat eloquentiae, ubi Cicero regnabat, qui ad Ligarium defendendum paratissimus veniebat; ita ut verborum illos honores, quibus, in Senatu, subito, Caesarem erat prosecutus, ad illam pro Ligario contentionem, Caesar pro *nulla oratione habere* recte potuerit.“ et (pag. 21.) consentiente Weiskio (pag 48. et 54.) „facile intelligitur, Ciceronem, quae in Senatu pressius et ex tempore dixerat, domi potuisse scribendo ornandoque amplificare.“ Quae aliis forsitan haud displiceant; mihi vel propter alia plura, de quibus postea loquar, vel idcirco non probantur, quod ex epistola famm. IV, 4. Ciceronem illo die in senatu nequaquam breviter dixisse persuasissimum habeo. Sed minime omnium haec placent Weiskii (pag. 49 et 50.): „Manifesto significavit Caesar, a sat longo tempore, a quo scilicet ipse fuerat profectus in Galliam, se non audivisse Ciceronem *pro reo* dicentem. Nam in senatu quod sententiam dixerat, praemissa de restituto Marcello gratiarum actione, in eo non adhibuerat omnem artem et contentionem oratoris. Sed quoniam ex illa epistola Fam. IV, 4. credibile est, eum etiam tum copiose et oratorie dixisse, non absurde coniicias, illa oratione Caesarem fuisse commotum, ut etiam *pro reo* dicentem audire

cuperet, cuius voluptatis a sat longo tempore non fuerat particeps." Enimvero in loco Plutarchi neque ullum Caesaris de oratione Marcelliana iudicium nec certum genus dicendi designatur; verum dictator nonnisi temporis diuturnitatem, qua non audiisset Ciceronem dicentem significans universe dixisse dicitur: *quid impedit ne post longum tempus Ciceronem audiamus dicentem?* Neque haec loci interpretatio, unice vera, orationem reddere suspectam potest. Nam cum florente republ. magnus ille orator quotidie fere in curia, foro, iudiciis esset versatus, tunc autem inter verba de Marcello facta et pro Ligario facienda complures menses defluxissent: hoc intervallum, (siquidem licebat dicere, cf. famm. IV, 4. IX, 20.) cui non videri longum debuit? Atque ista narrantur de Caesare, qui maxime *volebat eam rempubl. putari* (famm. IV, 4.) neque ideo quicquam habere exoptatius poterat, quam Ciceronem, et oratorem praestantissimum et civem auctoritate gravissimum, ita se gerere, ut omnibus illam esse aliquam persuaderet? (Att. XIII, 10. famm. VII, 33.). Ei igitur, prorsus necesse fuit, huius viri mensium complurium taciturnitas tunc videretur longissima, atque is, etiam si Ciceronem in restitutione Marcelli audiverat satis copiose dicentem, is, inquam, eum mensibus compluribus post auditurus, prorsus necesse fuit, diceret: *τί κωλύει* ΔΙΑ ΧΡΟΝΟΥ Κικέρωνος ἀκοῦσαι λέγοντος.

Sed videndum de reliquis in nostra causa *testibus*, de *Prisciano*, *Nonio Marcello*, *Lactantio*, *Asconio Pediano*, in quorum libris orationis pro Marcello saepius sic mentio

fit, ut non possis dubitare, quin eam bonam et genuinam duxerint. Atque inter eos, *Asconio Pediano*, nempe Ciceroni aetate omnium proximo, Gesnerus, harum rerum iudex locupletissimus tantum tribuit, ut propemodum eum nulla ratione falli potuisse affirmet. Nimirum haec eius in re simillima verba sunt (in Cic. oratt. IV. ed. Wolf. pag. LXXXV. sqq.). „Dicam primo universim, cur mihi non videatur probabile, hoc primo et proximo a vita Tullii tempore potuisse aliquid in illius nomen falso conferri. Diligens, ut inde incipiam, si quis alius, erat Cicero in suis libris sua quasi moneta signandis efficiendoque, ne parum illa ab aliis discerni possent. Quam ille non habuit etiam singulorum dictorum suorum fiduciam, quae *ita speraret notata se reliquisse, ut cognosci sua sponte possent?* Epist. ad Fam. VII, 32. et IX, 16. *audio Caesarem, quum volumina iam confecerit ἀποφθεγμάτων, si quod afferatur ad eum pro meo, quod meum non sit, reiicere solere etc.* Quid putamus? nonne multo magis maioribus operibus eas imprimere notas studuisse virum credibile est, quibus illa facile ab imitatoris alicuius affectatione distinguerentur? Deinde qui scribere tum potuit ea, quae pro Ciceronianis approbare se speraret posse, ille ne facturus quidem hoc erat, uti tam praeclara monumenta ultro sibi abiudicaret... Cogitemus etiam illud, obiisse Tullium relicto filio, relicto Tirone, salvo Attico suo et Varrone et multis aliis vel amicis vel discipulis: cogitemus, coepisse tum strui bibliothecas, in quibus reponerentur vel maxime Tulliana volumina, fuisse tabernas li-

brarias, superfuisse tum iudiciorum, in quibus egerat Cicero, commentarios, ab ipso Asconio adhibitos, acta etiam Senatus et urbana, ipsas manus nobilium scriptorum, quae sane tantas obiiciunt fraudi et imposturae, de qua agimus, difficultates, quas superare omnes, vix summa posset industria. Accedit, quod non minimam habere vim existimo, mutatio reipublicae, quae a Tullii morte ingruit, et cum ea eloquentiae... Ne Quinctilianus quidem poterat suos discipulos, Tacitum et Plinium, revocare ad splendidam Tullii simplicitatem... Nihil certe simile his nostris orationibus exstat, ne una quidem eius aevi oratio, unde ostendi possit, fuisse alios, qui Ciceronis imitatione, qui simili genere eloquentiae, quo ille floruit, censeri cuperent," cf. ad haec Beckium v. cl. in Cic. opp. vol. IV. pag. 617 et 618. Plenissima haec profecto Asconianae auctoritatis suasio est vel potius enumeratio rerum omnium, quibus illa Wolfii refellantur: „illud ne antiquissimi quidem auctoris fide diiudicari potest, an liber Ciceroni potius quam aliis tribuendus sit." (praef. pag. X.) Nec vero, cum illa non sint in ipsa nostra disceptatione excogitata, metuo, ne viri docti negent ea huc afferri debuisse. Nam, si in his quaestionibus iuste non auctores sententiarum vel ortum, sed internam earum vim et gravitatem respicimus: illa manifesto est ita comparata, ut hic eius ratio haberi non solum possit quam maxime, sed debeat. Quae eadem causa fuit, cur nec, quae in ea minus ad ipsum Asconium, quam ad omne illud aevum pertinent, mihi praetereunda ducerem: quippe, si nihil aliud, hoc

saltem efficient, ut, quam eiusmodi fraudes omnino ita brevi post Ciceronis mortem faciles aut difficiles fuerint, paullo certius intelligatur: quod quisque concedet in hac re tum gratissimum esse, tum utilissimum, quin prorsus necessarium. Magis autem de his haesitavi, quae Gesnerus in sententiae suae initio posuit: „Diligens — distinguerentur.“ Etenim, si nemo perhibet, opera Ciceronis ad nos adeo corrupta pervenisse, ut eius moneta iam in iis omnis exstincta sit ac deleta; sed persuasum est omnibus, illa fere talia nobis esse in manibus, qualia essent Asconio: efficitur, ista de diligentia Tulliana non magis ad hunc attinere, quam ad nosmet ipsos; quod non modo est ab hoc loco alienissimum, sed etiam confert maxime ad ipsam viri cl. sententiam refutandam. Nam, quandoque illa moneta libris Ciceronis impressa nobis quidem adeo nihil profuit, ut, cum de aliis pluribus, tum de hac oratione summa inter literatos exoriri dubitatio posset ac controversia: quid est, quod eam Asconio credamus ita multo plus profuisse? Sed Gesnerus haud dubie non arbitrabatur, nostrum cum illo aevo esse hac ratione comparandum: ad quod sufficiet commonefacere, quod ipse etiam Cicero, sese illam diligentiam suam perdidisse expertus est: haec enim legimus in, loco, quem a Gesnero puto memoriter laudatum esse: *Ais, ut ego discesserim, omnia omnium dicta in me conferri... Equidem sperabam, ita notata me reliquisse genera dictorum meorum, ut cognosci sua sponte possent. Sed quando tanta faex est in urbe, ut nihil tam sit* ἀκύθηρον, *quod non alicui venustum esse*

videatur: pugna cet. Alter vero locus (famm. IX, 16.) minime ad nos attinet, cum non diligentiae istius Tullianae fructum exhibeat; sed tantum egregiam Caesaris vim iudicii comprobet.

Quae sequuntur: „Deinde vero... abiudicaret." non egent disputatione; licet enim minus sciamus, qui, at certe, quid factum sit, optime docemur copia librorum illo tempore et nostro, non veri auctoris, sed alius cuiuspiam e. g. Sulpicii, Caesaris, Ciceronis cet. nomine perperam inscriptorum, cf. „Cic. de cl. orat. cap. 26 et 56. Suet. Caes. cap. 55." et Wolf. in praefat. ad Cic. oratt. IV. p..XX sqq.

At „Tullius obiit relicto filio, relicto Tirone, salvo Attico suo et Varrone et multis aliis vel amicis vel discipulis." Nec vero quisquam, quod scio, statim ut ille obiisset, ei libros falso adscriptos esse affirmavit; sed enim inter eius mortem et Asconium commentarios scribentem prope C, ab eiusque amicis, Attico, Varrone, Messala cet. mortuis ad eundem L fere aut LX praeterierunt anni, sat longum tempus, opinor, in quo fraudes in libris Ciceronis bene multae fierent! Quin eas etiam illis vivis potuisse fieri affirmem. Quid enim? cum eorum pars publicis, pars suis ipsorum privatis rebus in turbido illo gubernandis occupatissimi essent ac distentissimi: num mirandum, si, in provincia fortasse aliqua confectum opusculum a nonnullis Ciceroni adscribi aut ignorarent, aut saltem non intentius id suppositittium esse convincerent? Et fac, exstitisse unum aliquem, qui et detegeret fraudem et redargueret: non erat temporibus illis haec legio ephemeridum literariarum, quae docti viri

sententiam, ut primum dicta erat, inter omnes divulgaret; sed alius eam alii, si forte sermo in has res incidit, tradebat: quo quid effectum sit, orationes edocent, quae, compositae ab aliis, Persii, Fannii, Sulpicii, Caesaris cet. nominibus circumferebantur, quos viros nemo opinabitur sic esse mortuos, ut amicos, qui de illis iudicare possent, nullos superstites relinquerent.

Quod vero „tum erant tabernae librariae et struebantur bibliothecae, in quibus reponerentur vel maxime Tulliana volumina," id in his fraudes non impediisse puto, sed adiuvisse. Quis enim nesciat hominum lucricupidorum in dolis et fraudibus excogitandis industriam indefessam, quisque dubitet, quin tunc etiam fuerint, qui bibliothecas facientibus studerent adulterina pro veris vendere? Neque eos in hoc frustra elaborasse dicet, qui cogitaverit, hominum in rebus rarioribus colligendis tantam esse solere cupiditatem tantumque studium, quod vel doctissimorum et sagacissimorum virorum oculos perstringat; Romanorum vero, si Caesares, Cicerones, alios quam paucissimos exceperis, plane omnium de veris librorum auctoribus iudicium, nescio negligentiâ quadam an certorum praeceptorum inopiâ, mirabiliter infirmum erat ac dubium. Quod, ne alia, quae minus in promtu sunt, conquiram, sat illis confirmabitur in Brut. cap. XXVI. *Horum aetatibus adiuncti duo C. Fannii, C. et M. filii fuerunt: quorum C. filius unam orationem de sociis et nomine Latino contra Gracchum reliquit, sane et bonam et nobilem. Tum Atticus: Quid ergo? estne ista Fannii? nam varia opinio pueris nobis*

erat; alii a C. Persio, literato homine, scriptam esse aiebant, alii multos nobiles, quod quisque potuisset in illam orationem contulisse. Tum ego: audivi equidem ista, inquam, de maioribus natu; sed nunquam sum adductus, ut crederem: eamque suspicionem propter hanc causam credo fuisse, quod Fannius in mediocribus oratoribus habitus esset; oratio autem vel optima esset illo quidem tempore orationum omnium. cet. et ibid. cap. LVI. *Sulpicii orationes, quae feruntur, eas post mortem eius scripsisse P. Canutius putatur, aequalis meus, homo, extra nostrum ordinem, meo iudicio disertissimus. Ipsius Sulpicii nulla oratio est, saepeque ex eo audivi, cum se scribere nec consuesse, nec posse diceret.* cf. Suet. Caes. cap. LV et LVI. Quintil. inst. or. I, 5, 8. cet. At in illis orationibus credibile est, praestantiam quandam Romanis fucum fecisse; ceteroqui vigebant tunc ea sinceritate iudicii, ut inepta vel indigna magnis nominibus adscribi nulla possent. Male tamen his illa conveniunt in ep. supra laudata: *tanta faex est in urbe, ut nihil tam sit ἀκύθηρον, quod non alicui venustum videatur.* Nec facere iniustius videbor, quod quaerens de Asconio, quid probari faeci potuerit, commemoro. Scilicet, qui isto in loco faex appellantur, non homines rudes habendi sunt atque ignobiles (ii enim non curabant literas); sed iuvenes generosi ac tales, quibus cum Volumnio, amico Ciceronis, et ipso Caesare familiaritas esset ac consuetudo (cf. Att. II, 1. IV, 2. famm. VII, 32. IX, 16.) qui quidem, ut in illis locis videmus, eleganter, facete, salse dicta et alia quaevis

eiusmodi colligentes, de iis rebus sibi iudicium arrogabant et, quae proba censuerant, tum aliis commendantes tum in ipsorum bibliothecis reponentes, fraudes in libris quam maxime augebant. Siquidem factum est hoc modo, ut adulterina non iam conservarentur solum, sed etiam, utpote in genuinis multis ab ipsiusque Ciceronis aequalibus reposita, sicuti aliis omnibus, Asconio nostro bona genuinaque viderentur — nisi forte, cum Suetonium, Augustum, Atticum de libris praeclarissimis ipsorumque aetate scriptis adeo dubitasse videamus et errasse, bonum istum grammaticum hoc valuisse acumine putemus, ut de libris centum ante annis scriptis in errorem induci nullus posset.

Sed „superfuerunt iudiciorum, in quibus egerat Cicero, commentarii, ab ipso Asconio adhibiti, acta etiam Senatus et urbana.“ Verumenimvero haec aut non integra superfuerunt, aut Asconius ea non semper adiit. Aliter enim non intelligis, quare (comment. in orat. contra L. Pisonem argum. et contra C. Ant. et L. Catil.) dissentiens a Fenestella suam sententiam non illorum auctoritate unice veram demonstrarit; sed tantum ut sibi verisimiliorem posuerit. Accedit, quod, (quando in illis actis non integrae Ciceronis orationes conservabantur,) quae Asconio alias prodessent, eadem alias plurimum obesse poterant. Nam, si in istis, Ciceronem aliquo die verba fecisse legit, orationem vero nullam invenit, nisi adulterinam, ad Tullianarum similitudinem compositam eamque, quod vidimus potuisse fieri in bibliothecis collocatam: ipso illo indicio factum est, ut, si alias cautior fuisset, iam

pla-

plane securus fraude caperetur, omnino potius interpres egregie diligens quam suspiciosus criticus. (cf. comment. in orat. contra L. Pis. c. XXII. ad: *pontifices mihi cet.* et pro Mil. c. XIV. ad: *nuper quidem, ut scitis cet.* et Marklandum Cic. oratt. IV. edit. Wolf. pag. LXXIII et LXXV.

Quod vir cl. memorat, Asconii aetate ipsas manus nobilium scriptorum superfuisse, minimi facio. Nempe Cicero nequaquam omnes, quos ederet, libros sua manu consignavit, nedum multitudinem, quae eorum exstarent, exemplarium ipse conscriberet.

De ista vero, quam Gesnerus hic non minimam habere vim existimat, „mutatione reipubl., quae a Tullii morte ingruit et cum ea eloquentiae" cum Beckio consentio, viro cl., l. l. haec disserente: „Illa mutatio reipubl. cet. non impedivit, quo minus huius oratoris, cuius maxima vigeret auctoritas, nomine libri ederentur. Et Ciceroniana quidem argumenta a rhetoribus Senecae aetate frequenter tractata sunt, quam in rem M. Senecae Excerpta controvv. III. Praef. p. 399. Bip. laudavit Wolfius."

At „ne Quinctilianus quidem poterat suos discipulos Tacitum et Plinium revocare ad splendidam Tullii simplicitatem." Concedimus; quis vero, quod in his natura seu durior seu liberalior impediit, hoc iudicet prorsus neminem potuisse consequi?

„Nihil certe simile his nostris Orationibus exstat, ne una quidem eius aevi Oratio, unde ostendi possit, fuisse alios, qui Ciceronis imitatione, qui simili genere eloquentiae, quo ille floruit, censeri cuperent." Apparet

facile, quid orationis nostrae adversarii ad haec sint responsuri; nimirum, non esse plane, quod alias orationes conquiramus; ipsis IV, de quibus Gesnerus disputet ac nostra gravissime doceri „fuisse, qui Ciceronis imitatione... censeri cuperent."

Sed de his Gesnerianis satis est. De quibus nescio, quid alii censeant; mihi quidem non videntur illa Wolfii refellere: „hoc ne antiquissimi quidem auctoris fide diiudicari potest, an liber Ciceroni potius, quam aliis tribuendus sit." Sed cum eadem tam plene tamque diligenter disputata sint, ut vix quicquam ad ea addere liceat: nihil reliquum est, nisi ut Asconii de oratione pro Marcello ipsum testimonium afferamus (Comment. in divinat. in Caecil. cap. VI.) „*etiamsi taceant, satis dicunt.* Tale est illud: *cum tacent, clamant* et *victoriam ipsam vicisse videaris* et *philosophandum est, etiam si non est philosophandum,* haec in loco nec oxymora, nec cacozela iudicanda sunt; aut enim inferius dictis aut supra positis leniuntur, ut est illud: *vereor, ut hoc, quod dicam, perinde intelligi possit auditum atque ego ipse cogitans sentio* et illud quod sequitur." cet. Levissime haec inter se coniuncta sunt, ut glossematis in iis suspicio non quidem necessario excitetur, sed certe admittatur. Neque ea tollitur istis Antonii Francini Varchiensis in praefat. ad commentt. Asconii Ped.: „Illud unum doleo, me Asconium in veram formam restituere non potuisse; tam enim adulteratus mancusque est, ut equidem ausim affirmare, nullum apud Latinos scriptorem tot mendis scatentem legi... inveni totum corpus adeo deturpatum, ut

equidem persancte iuraverim me saepius ab incepto opere destitisse." cf ep. Guil. Budaei ad Nic. Berald. in Ascon. ed. Paris. et Markl. Cic. oratt. IV. LXXII. sqq. et Spald. pag. 87.)

Post hanc vero, quae maximam partem de auctoritate Asconii fuit, disputationem: de reliquis in hac causa testibus, Nonio Marcello, Prisciano cet. quid est, quod dicam? Quibus enim rebus decipi Asconius posset, iis multo magis illos potuisse, tam clarum est, ut non egeat demonstratione. Haec vero pariter in eos omnes cadit reprehensio, quod non totam orationem, aut saltem maiorem eius partem habent explicatione continua perlustratam, sed tantum singulos quosdam locos ita laudatos, ut fiat suspicio, eos, quippe quibus alia quaedam vel explicarent vel comprobarent, exempla e nostra oratione studiosius et cupidius sumsisse quam prudentius.

Atque haec dicta sunto de *testibus* nostris grammaticis; qui cum non sint eiusmodi, ut orationem pro Marcello sine controversia genuinam declarent, longe tamen equidem ab hoc absum, ut eos plane reiiciam. Cum iis comparo, qui in rerum discrimine deserere amicos solent; in fortuna vero secunda magnum iis frequentia decus et splendorem afferunt. Quare, si oratio propter alias causas, quas graviores habeo, condemnanda videbitur, illi nequaquam id valebunt, ut eorum fide absolvatur; sin eveniet, ut sive omnis sive maximam partem genuina videatur, id eorum auctoritate magis etiam confirmabitur.

Nunc igitur repetitis illis, quae ex ep.

famm. IV, 4. effecimus: eo die, quo Marcellus restitueretur, a Cicerone in senatu habitam esse orationem satis verbosam; accedimus ad ea, quae, si minus ex ipsa illius aevi *historia*, at ex *eius moribus quibusdam et institutis* in hac causa prolata sunt. Etenim fac, inquiunt, illam habitam esse orationem, at scribi potuisse denegamus. Namque „omnino duae sunt causae, propter quas antiqui oratores Romani litteris consignarent forenses et senatorias actiones, rebusque saepe multo ante transactis per otium componerent orationes suas. Unam causam afferebant res ipsae, si magnae, si illustres, si difficiles tractatu essent, si copiam darent egregii speciminis elaborandi, quo legendo alii delectarentur, alii assidue intuendo proficerent in arte, cui maxima illo tempore praemia proposita erant.... In defensionibus autem accessit interdum aliud scribendi consilium, quum is, quem patronus discrimine fortunae capitisque liberasset, ab eo dictam seu verius elaboratam de iisdem argumentis orationem legere, et quasi denuo frui innocentia sua cuperet.“ (Wolf. pag. XVI.) et (pag. XXVI.) „Ciceronem de hac re scribere noluisse, atque adeo non scripsisse, plures sunt rationes, quae penitus persuadeant. Etenim hic nulla reperitur causa ex iis, quas supra attulimus, quae illum impellere potuerit ad scribendum; nulla *rei gravitas*, aut *difficultas*, aut *aliqua gratia*, nec denique *voluntas Marcelli*, quippe qui, Caesaris clementiam, acerrimus libertatis propugnator, non magnum erga se meritum putans, et in reditu potius amicis suis obsequens, iniquissimo animo laturus fuisset,

illius diei indignitatem scripta oratione testatam et ad posteros proditam." Aliis tamen de his aliter visum est, v. g. Weiskio, qui de *rei gravitate* haec habet: „Quaero, num gravius sit, P. Quintium plebeium, et Roscium comoedum de bonis quibusdam privatis, Archiam, Graecum hominem, vel Balbum, Hispanum, de civitate Romana periclitatum esse, quam Caesari gratias exquisita ratione agi, quod supplicante senatu cuncto ignoverit et dignitatem restituerit acerrimo hosti suo, consulari viro; et eundem Caesarem neci propinquum et hostibus circumdatum a metu insidiarum, audientibus insidiatoribus, excellenti oratione revocari? (pag 44.) De *gratia* vero haec Wormii relegantur: „Caesari eiusmodi laudatio, a tanto viro et oratore," (de istis autem rebus alias aut cum improbatione quadam aut ambigue iudicante cf. famm. IX, 16.) „eo tempore non potuit non esse acceptissima." (pag. 27.) cum quibus illa bene congruere videntur in epistola famm. VI, 6., paullo post restitutionem Marcelli scriptâ: *me amicissime quotidie magis Caesar amplectitur.* De rei *difficultate* non est, quod multi simus: etenim, si vere nulla fuisset, non tot in ea, quot viri docti in hac oratione vituperant, committi vitia potuissent. His vero graviora sunt, quae Wolfius de *voluntate Marcelli* monuit, nec de iis haec placent Wormii: „M. Marcellum otium et exilium Mytilenense, honoribus et senatoriae dignitatis amplitudini serio praeferre; patriaque, Roma et familiaribus aequo animo carere, C. Marcellus frater, Cicero, ceterique Senatores, cum eius reditum a Caesare, in Senatu, deprecarentur, vix ac

ne vix quidem persuasum habuerunt; si enim habuissent, non se ad Caesaris pedes frater obiecisset, aut ad eum ceteri senatores, non sine quodam pudore suo, supplices et lacrymabundi accessissent." (pag. 25.) Nimirum, quam illis bene cognitus fuerit animus Marcelli constantissimus et sese homini, aliquando pari, iam tyranno, victum summittere praeclare nesciens, satis superque haec comprobant; Att. XIII, 10. extr. famm. IV, 7—12. Brut. c. LXXI. nec sane inter causas, propter quas eum volebant Romam reverti et rationes, quibus hoc ei persuadere conabantur, talis de vero eius animo et sensu dubitationis vel levissima deprehenditur significatio. Sed idem ille vir doctissimus aliud contra sententiam Wolfii argumentum habet, orationis pro Marcello scriptae ad ipsumque missae mentionem factam. Haec enim disserit: (pag. 26 et 27.) „Hoc me non temere sumsisse (nempe Ciceronem, quae in senatu dixisset, literis consignasse, et Marcello hanc oratiunculam, ut erat, a stilo recentem misisse) mihi persuadent verba M. Marcelli in literis ad Ciceronem datis: (famm. IV, 11.) *Gratulatio tua* (gratiarum actio) *etsi est mihi probatissima, quod ab optimo fit animo* etc. quae cum considero, sentire mihi videor, Marcellum, cum haec scriberet, exemplum aliquod orationis Tullianae ob oculos habuisse. Quodsi enim Ciceronem Caesari pro se egisse gratias, ex literis solis accepisset, potius ita scripsisset: Te Caesari gratias pro me *egisse*, etsi *fuit* mihi probatissimum, quod ab optimo *factum est* animo. Sed hoc, utcunque existimatum erit, non in magno ponam discrimine." Quid ergo? quo

vir doctissimus putat probari, se non temere sumsisse illam orationem a Cicerone scriptam esse ad ipsumque Marcellum missam, id non in magno ponit discrimine? Nec certius de isto loco Weiskius statuit, qui eum (pag. 44.) laudat intentatumque mittit. Verum haec levior est causas agendi ratio, quaque non veritas sincere indagetur, sed nonnisi praeiudicata quaedam opinio defendatur. Namque, ut nihil dicam de eo, quod Cicero verbum *gratulor* vel distinguere solet vel opponere istis *gratias agere:* (famm. VI, 11. IX, 14. XVI, 16.) quis persuadeat sibi, Marcellum de salute sua sic restituta gratiarum actionem appellasse sibi *probatissimam*? imo cum ista consideramus: (famm. IV, 11.) *Res quemadmodum sit acta, vestrae literae mihi declarant,* (ad Ciceronis de ea re narrationem (famm. IV, 4.) mirabiliter nuda et frigida,) vel cum omnem viri gravissimi vitam perpendimus, haec ei aptiora videantur: tuam de me gratiarum actionem puto communibus horum temporum miseriis concedendam. Ac, si de hoc viri docti aliter senserunt, attamen id debuit eos ab ista loci interpretatione avertere, quod gratiarum in senatu actio ad Marcellum missa non potuisset dici: *fieri* ab optimo animo, sed *facta esse.* Verum ne, levissimum argumentum plenius refutans, in molestae longitudinis reprehensionem incurram, equidem de istis: *gratulatio tua* cet. existimo: Ciceronem in epistola, quam perdidimus, Marcello esse de ipsius salutis restitutione gratulatum, ad idque hunc nostro in loco respondere: de ea sese paullulum gaudere; cum viris autem optimis consuetudinem sibi fore iucundissimam, atque in *eo se sibi gratulari.*

„Et ne ausurum quidem arbitror Ciceronem, tam demissam pro rigido Pompeiano veterisque reipubl. status defensore, Caesari etiam iniquiore, ipsi ostendere; si bene intellexi, quam caute timideque aliter sentientem nec potentiae more Ciceroniano cedentem adoriatur in istis epistolis consularis noster conf. mihi Famil. 4, 7. initio.... Nec vero post mortem Marcelli edi oratio demerendi Caesaris causa potuit. Fuerunt enim tum vulgatae orationes pro Ligario et Deiotaro, quibus satis superque gratificatus erat viro fortissimo.“ (Spald. pag. 81. et 83.) At, si concedo, Ciceronem non ausum esse, hanc orationem ipsi Marcello mittere et legendam suadere: cur eam omnino edere illo vivo noluerit, non assequor. Ut enim taceam scriptam et editam orationem pro Ligario, quem, quamvis ipse volebat restitui, de ista indignitate non arbitror multo aliter sensisse ac Marcellum, sed de ipsa hac edenda consularem nostrum puto sic fere secum cogitasse. Marcellum, quid in hac oratione publicata offendere possit, non video. Nam iis, qui nunc vivunt, non innotescere de ipsius restitutione, vir prudentissimus ne volet quidem; aut enim iam innotuit, aut certissime innotescet. Posteri vero de ea aut accipient etiam aliunde: tunc autem oratio mea, quippe qua nihil novi prodatur, omni caret vituperatione; aut, nisi ea literis mandata, non accipient: sed ne tunc quidem, si mando, est, quod in me ille reprehendat. Namque ipsam restitutionem ei non visam esse intolerabiliter indignam, hinc intelligitur, quod accepit; qui vero non timuit aequalium in hoc animadversiones vel cogita-

tiones, posteritatis profecto pro nullis habebit. Sed, quaenam hae esse omnino possunt? Respubl. et optimus quisque, virum gravissimum et nobilissimum restitui maximopere concupivit; hoc autem, nisi quemadmodum effectum est, effici nullo modo potuit. Quod igitur ille ad hoc in minimis suas res posuit tantumque tribuit bonorum omnium et reipubl. desiderio, ut, quo ei satisfaceret, vel indignitatem istam in restitutione susciperet: quis ei vitio vertat, imo quis non laudibus summis et praeclarissimis in coelum extollat? Atque ita haec oratio ei non modo nihil dedecoris afferet, sed etiam honori erit ac gloriae maximae, ut quae optime sit omnes edoctura, hoc tandem viro restituto nos omnes vere et nobis et reipubl. redditos visos esse, ac tunc tandem coeptum bene de omni republ. sperari.

Secundum haec vero, si nec *voluntas Marcelli*, ut videtur, obstabat, quin illa oratio publicaretur, nec rei vel *gravitas*, vel *difficultas*, vel *gratia* deerat maxima, cur tandem credamus, eam non esse publicatam? Vix opus est de his plura dicere; nec tamen, (cum in hoc genere causarum copia quaedam argumentorum haud facile displiceat,) si qua alia etiam Ciceronem ad orationem edendam commovisse videantur, ea praetereunda censeo. Quid enim? cum fratrem et amicos Marcelli ad eum eximia cum laude de singulari Ciceronis erga ipsum benevolentia et officio perscripsisse videamus: (famm. IV, 11.) nonne verisimillimum est, hos ad gratum animum et observantiam quandam significandam e Cicerone petiisse, ut orationem in illius restitutione habitam, quasi egre-

giae benevolentiae monumentum, ipsis vellet scriptam communicare? In quo hic sine dubio libenter iis morem gessit, tum omnino homo officiosissimus, tum cui deberet esse gratissimum, si quando Caesar rempubl. restaurasset, scriptam exstare orationem, quae, quam ipse eum ad hoc incitasset, inter omnes contestaretur.

Sed ex hac quidem parte res se tam bene habet, ut nullo modo infirmari possit. Nam, etiam si facias, Ciceronem, non intelligitur, quibus de causis, noluisse hanc orationem foras dari: „anne absurdum est, credere, eum ab actu *pulcherrimi illius diei* recentem, rerumque insperatarum laetitia elatum, quae in senatu dixisset, nulla mora interposita, literis consignasse?“ (Worm. pag. 26.) At neque hoc verisimile est in oratione non edenda, nec, si ponimus factum esse, apparet quomodo ista in publicum et ad nos emanaverit — Unum ad haec locum affero: Att. III, 12. *Percussisti me de oratione* (in Curionem) *prolata — scripsi equidem olim iratus, quod ille prior scripserat; sed ita compresseram, ut nunquam emanaturam putarem; quomodo exciderit, nescio.*

Verumtamen, confiteor, hactenus dissertatio nostra est eiusmodi, ut viri docti, quaecunque in ea pro verisimilibus et veris posuimus, concedere iidemque ipsam, de qua lis est, orationem habere supposititiam possint. Nam, si quid omnino vel ex testimoniis eruimus, vel aliter invenimus, quid hoc est ipsum, nisi: *eo die, quo Caesar Marcello veniam daret, a Cicerone in senatu habitam esse orationem non ita brevem, eamque postea esse literis consignatam;* at vero,

idque est longe gravissimum, quod *argumentis ex ipsa nostra oratione expressis, hanc quidem illam esse denegant*, de eo nobis adhuc superest quaestio. Atque in hoc primum illa percenseamus Wolfii: „Mori et elegantiae huius aetatis contrarium videtur et ineptum, *verbis pluribus* uti aliquem in gratiarum actione, quam ipsa res postularet, id est, ut Cicero dicere solet, *amplissimis, singularibus*, seu *pluribus quam factum esset a ceteris Senatoribus*. Tertio aut quarto post Christum saeculo, quibus temporibus Eumenius et Panegyrici Latini vixerunt, in tali loco et tempore convenit iusta oratio, non Ciceroniano.“ (pag. XXVI. sq.) In quibus haec: „ineptum videtur, *verbis pluribus* uti aliquem in gratiarum actione, quam ipsa res postularet,“ vereor, ut multum valeant in hac re decernenda. Nam, quia non est certa lege constitutum, quot ipsa oratoribus verba concedi possint, quin videantur plura, quam res postulet: aliter sentientes iure suo hanc reprehensionem in nostram orationem cadere pernegant, ut Weiskius (pag. 46.) „Concedo (et quis non concedat?) ineptum esse, verbis pluribus uti aliquem in gratiarum actione, quam res non *postulet*, sed *patiatur:* sed illam copiam, qua Cicero in facto Caesaris amplificando usus est, res certe patiebatur... Plura verba, quam necessitas exigit, non modo feruntur, sed etiam laudantur, cum videantur ornare collegii vel ordinis amplitudinem et augere gravitatem rei tractandae.“ Verum additur illis certior definitio: „id est: *amplissimis, singularibus verbis.*“ Dicit ergo vir cl., hanc gratiarum actionem ideo non videri Tullianam, quod rei

parum accommodata, seu quod inepte *singularis* atque *amplissima* sit de re neque *ampla*, nec *singulari*. De his tamen, cuius hic facile summa est auctoritas, ipse Cicero audiendus, qui (famm. VI, 6.) Marcelli restitutionem ut rem *singularem* et (IV, 4) ut *dignissime* atque *amplissime* factam commemorat. Sed „huius aetatis mori et elegantiae contrarium videtur et ineptum, *verbis pluribus* uti aliquem in gratiarum actione, *quam factum esset a ceteris senatoribus*.“ De quibus antequam in iudicium eatur, breviter exponendum videtur, unde vir cl. collegerit, eo die nullum senatorem tot in gratiarum actione verba fecisse, quot fecisse auctorem nostrae orationis videmus. Errasse nimirum in hoc Wormium (pag. 20.) et Weiskium (pag. 47.) puto, qui de istis cogitarunt: (famm. IV, 4.) *pluribus verbis egi Caesari gratias*. Ad quae quidem, si Wolfius cogitatione addi voluisset „quam ipsa res postulabat, seu quam factum erat a ceteris senatoribus,“ quoniam id ineptum habet, Ciceronem iudicasset illo die vere paullo ineptius egisse; quo facto nostram orationem, quam itidem ineptam appellat, ei non potuisset abiudicare, ut indignam; verum quam maxime adiudicare debuisset, ut viro, quemadmodum sese illo die gessisse videretur, congruentissimam. Nec vero dubium est, quin illius sententiae fons fuerit ipsius orationis Cap. XI. *Maximas tibi omnes gratias agimus, maiores etiam habemus. Nam omnes idem sentiunt*. . . *sed, quia non est stantibus omnibus necesse dicere, a me certe dici volunt, cui necesse est quodammodo* . . . *quod M. Marcello a te* . . . *reip. reddito, praecipue*

id a me deberi intelligo. Ad quae Wolfius adnotat: „non verisimile est, pluribus verbis hac de re usum esse Ciceronem, quam nonnullos alios et familiares Caesaris.“ (pag. 71.) Si vero iam, unde illa criminatio profecta sit, constat mihique, quid de ipsa habeam, proferre licet: ego in his non tam *elegantia* et *more aliquo temporum* leges modumque praescribi iudicem, quam natura. Secundum hanc vero, quoniam, ut quisque maxime de beneficio laetatur, ita gratias agere maximas solet: in gratiis de restituto Marcello agendis non familiares Caesaris arbitror eximie multos fuisse, sed ipsius Marcelli; unum vero omnium plurimum, qui erga hunc virum benevolentia et laetitia de eius salute omnibus antecelleret. Atque eum praeter C. Marcellum, M. fratrem patruelem, hominem haud disertum, ipsum Ciceronem fuisse legimus. (famm. IV, 4 — 11.) Quem cum sciamus non modo iis, qui tunc in senatu essent, sed omnibus, qui latine loquerentur, multo et copia dicendi praestitisse et facultate: nulli dubitamus, quin eo die, vel suo Marcelli studio, vel iustae exspectationi Caesaris satisfacturus, (famm. IV, 4. extr.) de illo verbis pluribus gratias egerit, quam factum esset a ceteris senatoribus: cum quibus haud male haec faciunt Marcelli ad Ciceronem (famm. IV, 11.) *hoc mihi multo iucundius est et gratius quod in summa paucitate amicorum te cupidissimum mei singularemque mihi benevolentiam praestitisse cognovi.* (cf. ad haec, quae supra de ep. famm. IV, 4. disputavimus).

Ad illa denique: „Tertio aut quarto post Chr. saeculo . . . in tali loco et tempore con-

venit iusta oratio, non Ciceroniano" nihil nisi istud iam supra dictum repetimus: nec nostra omni oratione; sed priori tantum eius parte gratias agi; posteriorem esse de querela Caesaris de insidiis quibusdam sibi paratis.

Sed de hoc ipso, quod saepius in hac dissertatione quasi praetereundo commemoravimus, iam erit accuratius agendum. Etenim in argumentis, quibus hanc Ciceroni abiudicant orationem, haud levissimum est ipsa haec Caesaris in senatu querela de insidiis, quam quidem negant ab eo unquam habitam esse, sed a grammatico, dicendi materiem conquirente, temere fictam esse dicunt. Quae doctorum virorum sententia gravissima ad totamque orationem attinens quo certius et facilius existimari possit, iam, quid omnino illo die in senatu actum esse videatur et quo modo, paullo distinctius exponere conabor. Ac primum quidem senatum non coactum esse de M. Marcello, comparet ex his: (famm. IV, 4.) *Fecerat hoc senatus, ut cum a L. Pisone mentio esset facta de Marcello et cum C. Marcellus se ad Caesaris pedes abiecisset, cunctus consurgeret et ad Caesarem supplex accederet.* Dein vero plurimi rem sic gestam esse censuere: „Caesar, non immemor quidem veteris inimicitiae, et consulatu Marcelli comparatione Ser. Sulpicii acriter notato, tamen publicis desideriis cedendum duxit, simul singulos, quasi de re dubia, sententias rogavit; sive ut Senatui antiquae libertatis simulacrum praeberet, seu quod Marcellum putabat hoc beneficio libentius usurum, si a republ. potius quam a Dictatore datum esset, seu quo certius, quid

nonnulli sentirent, intelligere posset. Igitur dixerunt deinceps Senatores, et cum sententiis suis gratiarum actionem ad Caesarem coniunxerunt" At vero, quomodo poterant senatores quasi de re dubia sententias rogari, cum, quid vellent, cuncti consurgentes et suppliciter ad Caesarem adeuntes satis superque declarassent? Imo etiam si hoc non fecissent, eorum de hoc viro voluntas nulla esse dubia potuisset; siquidem tantum idcirco in exilio degebat Caesarisque odium contraxerat, quod pro ipsorum auctoritate et dignitate acrius propugnarat. Quae cum ita sint, quod nonnisi in discessione cum nimia varietate sententiarum facta fieri solebat, ut singuli denuo sententias rogarentur, si Caesar id in illius viri restitutione fecisset: non sane hoc ludo senatui antiquae libertatis simulacrum praebere, sed de ea perditâ male commonere visus fuisset ac deridere. A qua sententia neutiquam illis avertor: (famm. IV, 4.) *visus sum videre speciem reipubl. reviviscentis;* neque enim omnino, ut supra edocui, huic illius diei laudationi ita multum tribuere possumus et istam quidem *speciem reipubl.* potuit Cicero vel in hoc videre, quod, quemadmodum florente republ. privatorum simultates communi saluti posthabebantur, ita hoc die Caesar, communi desiderio cedens, Marcello, acerbissimo hosti suo, veniam pristinamque dignitatem reddiderat. Nec magis equidem illa de Marcello comprobo. Nam si ponas, Caesarem adeo, ut ita dicam, subtiliter bonum fuisse, ut ei viro hoc modo beneficium vellet etiam iucundius reddere; ipsa tamen ars illa manifesto est ejusmodi, quae nec Caesari placere pos-

set, neque in Marcello, homine prudentissimo et gravissimo, adhiberi. At „Caesar hoc modo certius, quid nonnulli sentirent, intelligere voluit.“ Concederem, nisi mihi compertum esset, eum id tunc quidem aut iam habuisse optime intellectum, aut certe fuisse callidiorem, quam qui e verbis, quae dari potentioribus solent, veros hominum sensus cognosci crederet.

Ut vero patet, hoc modo rem non posse gestam esse, ita Weiskius de ea doctissime et, quam hic ducem sequi debemus, epistolae famm. IV, 4. aptissime haec pronuntiat: (pag. 56 et 57.) Constat inter omnes „non cuivis consulari aut senatori ius fuisse, ut primus de quavis re verba faceret, sed summum magistratum rem agendam proposuisse.“ (certe, si dictator senatum habuit, alii nemini permissum erat referre.) „Ergo etiam illo die, postquam dictator Caesar ad senatum retulerat, rogavit ex ordine singulos, quid videretur, sive quid fieri placeret. Rem autem tum in senatu actam Cicero illa epistola non prodidit, sed tantummodo factum, quod casu interpellavit L. Pisonis orationem. Hoc ipsum factum narrat praepostere. Nam cum Piso, qui inter primos a Caesare videtur rogatus esse, in sententia dicenda M. Marcelli fecisset mentionem, i. e. petiisset a Caesare (quocunque id fecit modo), ut eum ab exsilio revocaret, senatus pro eodem deprecatus est, si minus verbis, supplicum certe habitu et gestu. Tum demum Caesar dixit, se senatui de Marcello non negaturum. Denique idem Caesar reliquos sententiam de re ante illud factum acta dicere iussit: unde hi omnes“ (excepto Volcatio, qui, ut videtur,

Mar-

Marcello non commemorato, solum de illa censuit) „et ante et post Ciceronem rogati gratias Caesari egerunt, priusquam decernerent; sed, quantum ex illa epistola intelligimus, nullus eorum, qui ante dixerant sententiam. Sed Cicero prius id refert, quod Caesar de Marcello pronuntiaverat, et tum subiicit illud de supplicatione senatus, plusquamperfecto tamen usus (*Fecerat autem h. s.*), ut res nihil habeat ambiguitatis. Fortasse illa perturbatio, quae in epistola nihil habet vitii, fecit, ut homines tam docti abducerentur in errorem."

In quibus, si cui moveat dubitationem, quod Cicero in illa epistola, quamvis id peropportune posse videatur, ne verbo quidem, eo die praeter restitutionem Marcelli aliam rem in senatu actam esse commemoret: cogitandum est, (praeterquam quod ista forsitan ei omnino melius videretur silentio praeteriri,) sed cogitandum, eum Sulpicio non, quaecunque tunc Romae haberentur, res novas; (de his universe haec scripsit: *Res sunt eiusmodi, ut, cet.*); sed tantum de eo fuisse nuntiaturum, quod Marcello a Caesare venia data esset ipseque in ea re, cum constituisset in perpetuum tacere, partes suas oratorias recepisset. Huc vero, si, quod eodem die actum erat, nihil attinebat, non erat plane, quod eius in hac epistola mentio fieret. Satis habebat Cicero post summam de illo die praedicationem de gratiis narrare Caesari ab omnibus ante ipsum rogatis senatoribus actis; siquidem hoc facto ei uni ac tali oratori non erat integrum tacere. Ac ne hic quidem, ubi, igitur et sese pluribus verbis Caesari gratias egisse scripsit, fuisse videtur, quod, se

praeterea de alia re sententiam tulisse memoraret; namque hoc quidem, praesertim si tantum verbo assensisset, non fuisset eum in ceteris etiam rebus otio privaturum; sed, quoniam gratiis agendis ei, a quo accepimus beneficium, nos quodammodo vinctos et obligatos addicimus: Cicero, cum Caesari de restitutione Marcelli gratias egisset, quaecunque ille haud plane iniuste velle videretur, facere pristinoque more suo etiam posthac dicere paene coactus erat atque id unum voluit Sulpicio perscribere.

Itaque, si illa Weiskii bene habent: *oratio nostra in eo quidem cum epistola famm. IV, 4. congruit, quod ea, sicut in hac est, primum gratiae aguntur, postea censetur;* verum hoc, ut vidimus, in ea reprehendunt, quod de insidiis censetur Caesari adhibitis, de quibus hunc unquam in senatu conquestum esse pernegant. Nec tamen id fecissent, opinor, si accuratius veram huius querelae naturam explorassent; nempe haec tradunt: „Posterior pars orationis (a cap. 7.) versatur in refutanda suspicione quadam Caesaris et metu insidiarum: quasi ipse in sententia sua, conquerens de acerbitate Marcelli, se hoc viro reducto parum tutum, et aliorum quoque occultis insidiis obnoxium dixisset“ cet. Quae si vera essent, haec oratio non modo minime conveniret epistolae famm. IV, 4; sed etiam eius auctorem manifesto haberemus hominem ineptissimum, quando eius solummodo fuisset, postquam Caesar Marcelli adversus se acerbitatem senatui condonaverat, denuo illam viri acerbitatem, rem invidiosissimam, tamque multis retractare. Sed in nostra oratione nec Marcelli tanquam Cae-

sari suspecti ulla mentio fit, neque omnino tam de insidiis sermo est metuendis, quam factis et detectis. De quibus in senatu querelam non abhorrere ab historia, seu „repugnare iis, quae de Caesare narrant locupletissimi auctores, velut Velleius, Suetonius, Dio Cassius“ ipse Suetonius Caes. c. LXXV. comprobat: *si qua posthac aut cogitarentur gravius adversus se aut dicerentur, inhibere maluit, quam vindicare. Itaque et detectas coniurationes, conventusque nocturnos non ultra arguit, quam ut edicto ostenderet, esse sibi notas: et acerbe loquentibus satis habuit, pro concione denuntiare, ne perseverarent.* Verum quid multa? haec enim habemus (in Philipp. II, 29.): *Haerebat nebulo; (Antonius) quo se verteret, non habebat; quin his ipsis temporibus domi Caesaris percussor ab isto missus, deprehensus dicebatur esse cum sica: de quo Caesar in senatu, aperte in te invehens, questus est.* Nunquid potest his luculentius et gravius optari? itemque his consideratis, nunquid de illis dicendum: „Declamator haec de atrocissima Caesaris suspicione ipse conflavit, non ex historia sumpsit“ cet. et de illis: „nihil plane aliunde nobis, nisi ex hac ipsa oratione innotuit de querela Caesaris, quam in senatu protulerit ob imminentes sibi insidias?“ videlicet haec omnia istis tam plene refelluntur, ut ne doctissima quidem disputatione refelli plenius possint. Sin autem fiat quaestio, an de hoc ipso percussore Caesar illo die questus esse videatur, equidem id affirmem potius, quam negem. Etenim tempus quidem in istam Caesaris querelam et, sicut est verisimillimum, hanc orationem

habitam idem convenit; neque id obstat, quod hic Caesar *aperte* in Antonium invectus esse dicitur, in nostra autem oratione sic agitur, ut de suspicione sua incertius atque obscurius significasse videatur. Nam ipsum in l. l. verbum *dicebatur* comprobat, Caesarem illo die non insidiatoris nomen effatum, sed omnino conquestum esse de turpitudine ac malignitate hominum, qui vel maximis beneficiis affecti non dubitarent ipsi insidias struere; postea vero quam de Antonii eiusmodi facinore rumor exiit, omnes in hunc Caesarem illo die satis *aperte* invectum esse cognoverunt.

Sed hoc est levius prae iis, ad quas nunc respondendum est, quaestionibus: scilicet quidnam ipsum illo die vel Caesar ad senatum retulisse videatur, vel hic decrevisse. Nec de iis Weiskio assentior: „Caesarem verba fecisse *de insidiis consuli (sive dictatori) factis et consuluisse senatum, quis eo nomine suspectus videretur aut quid de eo statuendum esset, cuius insidiae deprehensae forent.*" (pag. 68.) quippe quae non modo repugnent iis, quae de magni viri clementia narrant Velleius, Suetonius, Dio Cassius cet.; sed etiam tum ab illis in Phil. II, 29., tum ab ipsa oratione nostra penitus aberrent. Namque ex hac quidem id fere efficimus: *Caesarem in senatu conquestum esse de insidiis ab hominibus ingratissimis sibi paratis, eundemque addidisse, se sibi quidem et gloriae suae satis diu vixisse; si quid ipsis et reipubl. posthac etiam prodesse posse videretur, censerent, quid vellent fieri, ne istis interiret.* Quemadmodum vero iam vidimus, Caesaris in senatu

querelam de insidiis carere vitio: ita nunc, tum ei hoc tempore talem relationem tum senatui custodiae corporis concessionem illam (cap. X. extr.) congruere, paucis ostendere conabor. Nam, quod maximum est, Caesarem ante illum diem in urbe non usum esse custodia corporis, ex parte quidem elucet ex Appiani bell. civ. 485, ubi in seditione militum eum non sua aliqua, sed Antonii legionibus, quae tunc urbi praesidio essent, aedes suas circumdedisse legimus; eam vero, quam in bellis Gallicis praetoriam sibi fecerat, legionem decimam, (B. G. I, 40.) inter ipsos tumultuantes urbem ingressam esse. (Suet. Caes. cap. LXX. App 486 et 487.) (Quae eadem coarguunt Dionem (XLII, 52.) pro cohortibus *urbanis* perperam posuisse *praetorias*, qui error et omnino facilis erat (cf. eiusd. LV, 24. LVI, 32. cet. Suet. Aug. IL.) et in isto facillimus (cf. Reimar. de naevis hist. Dionis pag. 1540.)) Atque istud quidem factum est ante bellum Africanum; nec vero magis statim post hoc Caesarem satellitibus stipatum fuisse intelligimus e Dion. (XLIII, 18.), ubi senatum de militibus, quos nondum dimiserat, erigens et confirmans, eos non sua, sed reipubl. causa contineri docet; de corporis vero sui custodia, quae, si qua fuisset, quippe Syllani temporis memoriam renovans, maximum factura metum fuisset, ne levissime quidem commemorat. Quare, si Caesar tunc in urbe non habebat custodes corporis, sed, ut extremo vitae suae tempore, (App. 495. Dio. XLIV, 7.) contentus erat XXIV, quos dictator habebat, lictoribus triplicatis, (Dio. XLIII, 14; 19.), idem vero postea commemoratur satelliti-

bus Hispanis circumdatus: (App. 496. Suet. LXXXVI.) quid est, quod dubitemus, quin ipso illo insidiatore deprehenso, quae supra posuimus, ad senatum retulerit, atque hic ei, sicut postea Antonio, (App. 548. 564.) permiserit, ut satellitibus se a periculo muniret? At non erat, quod Caesar de his senatum consuleret, cum nihil impediret, quo minus ipse sua potestate satellites sibi assumeret — Verum enim vero, si hoc ei facere sine controversia licebat, sine invidia certo non licebat, quam quidem vir ille callidissimus tunc tam studiose fugiebat, ut etiam de rebus levissimis ad senatum referret. (cf. Dion. XLIII. 27. init.) Itaque his missis iam de ipsa, quae ad eius relationem dicta videtur, sententia exponamus. (cap. X. extr.) *Quare omnes te, qui haec salva esse volumus, et hortamur et obsecramus, ut vitae, ut saluti tuae consulas: omnesque tibi, (ut pro aliis etiam loquar, quod de me ipse sentio) — non modo excubias et custodias, sed etiam laterum nostrorum oppositus et corporum pollicemur.* In qua equidem non video, quos viri docti Caesari male promitti dictitarunt, satellites ex equitibus et senatu; quin de iis ipsa auctoris verba nos vetant penitus cogitare. Nam, si illis: *non modo excubias et custodias* stipatores e senatu significarentur, non esset additum: *sed etiam laterum nostrorum opp. et corp.*, quippe haec ipsa custodiarum vis ac ratio est, ut rem seu hominem *laterum oppositu et corporum* defendant. sin auctor his: *exc. et cust.* custodes e militibus, illis autem: *sed et lat. nost. opp. et corp.* custodes e senatu et equitibus significare voluisset: neque in istis: *exc. et cust.*

omisisset: *e militibus*, neque in his: *sed et lat. nost. opp. et corp. nostrorum* post, sed ante *laterum* collocasset. Neque „in verbis ultimis turpis inest sententia, sed et Ciceroni honorifica et senatui, cuius item nomine illa profertur: nemo certe fuit in senatu, quin isto tempore eam probaret. Cicero pro sua parte vel ob amicitiam, quantum poterat, Caesarem *defendere* debebat, si quis insidiator in eum sicam intentasset; ceteri, ut senatores et cives item, si quis in consulem... Nec vero putandum est, *opponere latus*, sive *corpus suum*, aliam vim habere. Loquendi ratio accedit ad hyperbolen, quia, secundum verba, qui sic facit, nihil aliud agere videtur, nisi ut corpus suum, tamquam clypeum, obiiciat, seque confodi sinat, nihil reluctans et prorsus iners, hoc videlicet unum spectans, ut alter salvus possit elabi. Hoc non magis proprie dictum videri debet, quam cum ipsum verbum *clypei* ponitur pro *defensore*. Sic et *excipere pro altero vulnera* vel *ictum*, *per suum latus iubere alterum peti* et similia, acrem, constantem et fidelem alterius defensionem exprimunt." (Weisk. pag. 235.) Nec tamen non video, ipsam hanc, quae explicationis indigeat, sententiae ambiguitatem atque obscuritatem orationi posse vitio dari, praesertim alia quadam dubitatione accedente; nempe, cum Ciceronem sciamus illo die nec solum nec primum rogatum esse sententiam, quomodo genuina esse possit oratio, in qua legimus: *omnesque tibi, ut pro aliis etiam loquar, quod de me ipse sentio cet.* Ac de his equidem sic habeo. Senatores ante Ciceronem rogati ad eam, quam fere a Caesare factam esse

censuimus; relationem ei excubias illas et custodias concesserant; quamobrem Cicero, de his illis simpliciter assentiens non debebat eas certius describere; sed, cum idem in sententia sua dicenda, Caesari omnino vix ullas fieri posse insidias affirmasset, (omnes enim in eo uno spem de republica habere positam, omniumque idcirco plurimum interesse, eum vivere): prorsus necesse fuit, ei, si tamen sibi aliquid metuendum putabat, praeter istas excubias et custodias, non modo suam, sed ceterorum etiam senatorum omnium de ipsius salute curam studiumque maximum promitteret, atque ita in illa sententia neque *obscuritas* neque haec possunt reprehendi: *omnesque tibi, ut pro aliis etiam loquar cet.* Si vero quem offendat, quod ad ipsam relationem Caesaris tam breviter censeatur longeque maxima pars orationis in aliis versetur, is relegat Phil. VII., in qua Cicero ipsis sex verbis de re proposita sententiam fert, reliqua omni oratione de aliis agit, cum ista nullo modo coniunctis.

Nunc vero, quoniam, ut mihi videtur, constat, *huius orationis argumentum et institutionem vel epistolae nostrae* (famm. IV, 4.) *vel omni illius aevi historiae plenissime convenire:* reliquum est, ut de singulis in ea quibusdam videamus, quibus manifesto grammaticum eius auctorem declarari dicunt rerum, quae tunc essent ac gererentur, aut inscium aut certe male negligentem. Sed quia, ut praemonitum est, non hanc edituri aut commentario integro persecuturi sumus orationem; sed tantum loca, quibus Ciceroni vel abiudicetur vel adiudicetur exploraturi:

ista, sicuti ordine capitum praebentur, huc afferemus atque ita, qualia sint, examinabimus.

Initium vero ab his fiat Cap. III. 8. *adversarium nobilitate, ingenio, virtute praestantem, non modo extollere iacentem, sed etiam amplificare eius pristinam dignitatem, haec qui faciat, non ego eum cum summis viris comparo, sed simillimum deo iudico.* „*amplificare eius pristinam dignitatem*, dumtaxat amplificandae periodo inservit: quippe nihil legitur a Caesare factum attollendi Marcelli causa; et si quid factum esset, legeretur haud dubie in hac ipsa oratione.“ Ad quae refellenda frustra haec laudant: (famm. VI, 6.) *Marcellum cum summa illius dignitate restituit.* Hoc enim pro illis temporibus et Ciceronis more loquendi idem est ac *sic restituit, ut nihil in eum indignius faceret*, seu quod in epistola famm. IV, 4. legimus: *sic restituit, ut post has miserias nihil actum sit pari dignitate.* Quin ille ipse locus quam maxime stabilit sententiam Wolfii, cum Cicero in eo, de summa Caesaris clementia perscribens, eius documenta munera laudet tribus Pompeianis, Bruto, Cassio, Sulpicio tradita, Marcellum vero distinctissime non muneri alicui praepositum, sed, quod idem egregiam viri clementiam probavit, *dignissime restitutum esse* dicat. Nec tamen post haec, nimirum in eiusmodi quaestione, illa silentio licet praeterire Weiskii: „Credo ego, Caesarem statim pronuntiasse, cui fere negotio Marcellum praeficere vellet; voluisse autem ei negotia quaedam demandare, si minus extra urbem gerenda; at certe, quibus abuti non

posset ad oppugnandam tyrannidem. Quod vero nihil legitur a Caesare factum attollendi Marcelli causa, non mirum est, quia Caesar id, quod cogitaverat, exsequi non potuit, quippe morte Marcelli praeventus: ad div. IV, 12." (pag. 98.) At (si tacemus, quae in ep famm. VI, 6., ante Marcelli mortem scripta legimus,) Caesar neque omnino is erat, qui homini patriam, amicos, carissima omnia, ne tyrannidem videret, fugienti munus imponeret invito, neque eum hoc in Marcello fecisse, plures sunt causae, quae gravissime confirment. Nam si fecisset, Cicero id tum in hac ipsa oratione, tum in epistola ad Ser. Sulpicium (famm. IV, 4.) commemorasset, tum haud dubie in epistolis ad ipsum Marcellum, (famm. IV, 7—11.) virum ista omnia vehementissime exosum, ut ne clementiam victoris pertinacius respueret, exhortatus esset, vel certe postea lentissime Romam revertentem commonuisset, ut ad munus nescio quod ipsi demandatum, paullo citius accederet. Nunc vero, quia nec Ciceronis eiusmodi ad eum exhortatio est, neque ipsius Marcelli de munere in illa tyrannide suscipiendo ulla querimonia aut alia significatio, (cf. famm. IV, 12.) nec denique in hac oratione et epistolis ad Ser. Sulpicium (famm. IV, 4.) A. que Caecinam (ibid. VI, 6.) de dignitate Marcelli amplificata mentio fit: nos etiam hunc locum non a Cicerone profectum, sed falsum et supposititium existimamus.

De quibus vero nunc dicendum est, ea sunt maximam partem talia, ut nullo modo, quid ipsum in iis reprehendant, invenire possis, velut cap. V. 15. *Ex quo iam nemo*

erit tam iniustus rerum existimator, qui dubitet, quae Caesaris voluntas de bello fuerit, cum pacis auctores conservandos statim censuerit, ceteris fuerit iratior. Atque id minus mirum fortasse tunc, cum esset incertus exitus et anceps fortuna belli cet. „Diligere Ciceronem coepit Caesar demum post victoriam Pharsalicam: cf. pro Lig. III. ad hoc igitur tempus pertinet istud *statim*, quod an sit *statim*, dubium faciunt verba, *quum esset incertus exitus* cet." Ad quae Weiskius perperam, ut mihi videtur, censet: „*statim* debet esse cum ipsa pace restituta, ex quo bellum omne compositum erat. Opponitur enim huic tempori illud tempus, quo adhuc incertus erat exitus. Nimirum a bello Afr. iam pax videbatur plane restituta." Sensum loci hunc habeo: pacis auctoribus *ille statim ut deprecabantur*, veniam dedit; in eos vero, qui cupidius pugnaverant, non eadem usus est clementia, sed eos ita puniit quodammodo, ut diutius de ipsorum salute sollicitos relinqueret. (cf. famm. VI, 13.) *Statim* minime esse posse: „cum ipsa pace restituta," vel sequentibus comprobatur: *Atque id minus mirum fortasse tunc, cum esset incertus exitus cet.* vel oppositis: *qui vero victor pacis auctores cet.* Nec magis in his vitium apparet: *Atque id* (quod pacis auctores *statim* conservandos censuit cet.) *minus mirum fortasse tunc, cum esset incertus exitus et anceps fortuna belli.* Namque exitum belli, cum Cicero et alii auctores pacis conservarentur, vere incertum fuisse, tam cognitum est, ut nemo desideret exempla; (Att. XI, 7; 15. famm. XV, 15. cet. cet.) in reliquam vero omnem sententiam haec con-

ferantur Att. XI, 16.: *mora Alexandrina causam illorum correxit.*

Cap VI, 10. *nostri enim sensus, ut in pace semper, sic tunc etiam in bello congruebant.* „Marcellum quoque consilia pacis agitasse, commentum est, quo nec Caesar, nec quisquam Senatorum falli potuit.“ „Non est commentum; nisi Ciceronem dicemus Marcellum ipsum fallere voluisse, cum illi scriberet Div. IV, 7. *Vidi te, neque consilium belli civilis ita gerendi, neque copias Pompeii, nec genus exercitus probare, semperque summe diffidere. Qua in sententia me quoque fuisse, memoria tenere te arbitor. Itaque neque tu multum interfuisti rebus gerendis, et ego id semper egi, ne interessem.* IV, 9. *Probatur factum tuum, quod et initium belli civilis necessario secutus sis, et extrema sapienter persequi nolueris.*“ Wormius. Cum quibus bene coniungetur et reprehensio et excusatio illorum cap. VII. 21. *ut aut nulli supersint de inimicis, aut qui superfuerunt, sint amicissimi.* „vix positivo credulas aures praebuisset Caesar“ Wolf. Videlicet hae oratoribus erant usu concessae vel potius ipsa orationum natura necessariae rerum exaggerationes atque a vero parvae declinationes; quod etiamsi est notissimum, non tamen hic illa ingrata erunt Wormii: „si dictatori orator noster fucum facere stulte conatus est, quid de Cicerone dicemus apud eundem, pro Ligario (c. 12.) haec declamitanti: *An potest quisquam dubitare, quin, si Ligarius in Italia esse potuisset, in eadem sententia futurus fuisset, in qua fratres fuerunt? ... Voluntate igitur omnes tecum*

fuerunt. Hisce Caesarem credulas aures praebuisse putabimus, quem, cum ea oratio esset habenda, dixisse refert Plutarchus: τί κωλύει διὰ χρόνου Κικέρωνος ἀκοῦσαι λέγοντος; ἐπεὶ πάλαι κέκριται (Λιγάριος) πονηρὸς ἀνὴρ καὶ πολέμιος?"

Quid vero dicamus de his, quae adnotantur ad cap. VIII. 25. *Itaque illam tuam praeclarissimam et sapientissimam vocem invitus audivi: satis te diu vel naturae vixisse vel gloriae.* „Haec satis temere dicta sunt: nam qui modo 54 aetatis annum attigit, nondum naturae satisfecisse vivendo videtur." Wolf. Nempe, quis non audiverit sexcenties homines imbecillioris valetudinis, vel minores natu quam tunc Caesar esset, dictitare, se suae quidem naturae satis ac diutius vixisse, quam prae illa speravissent? De Caesare vero Suetonius (cap. XLV et LXXXVI.) haec scribit: *Suspicionem Caesar quibusdam suorum reliquit, neque voluisse diutius vivere, neque curasse, quod valetudine minus prospera uteretur.*

Neque iustius haec puto culpari Cap. XI. 33.: *Sed quia non est stantibus omnibus necesse dicere, a me certe dici volunt* cet. „prae cupiditate sua oblitus hic Cicero epistolae suae ad Sulpicium (famm. IV, 4.) ceteros Senatores omnes finxit *verbo assentientes*, M. T. Ciceronem *censentem* pro istis omnibus et *ipsorum nomine iussuque dicentem.* Ea res neque ita facta est, nec potuit fieri ullo modo," nec, quod ego adiicio, nostro in loco ita facta esse dicitur. Quippe in eo nihil legimus de ceteris senatoribus omnibus verbo assentientibus; sed tantum significatur, *non omnes* Caesari gratias egisse,

quod minime aberrat ab ep. famm. IV, 4, in qua haec sunt: *cum omnes ante me rogati Caesari gratias egissent, praeter Volcatium.* Atque hanc ipsam putes fuisse causam, cur Cicero illud diceret, nimirum quia vellet, homo singulariter bonus, aut Volcatium et si quos alios in senatu eius consimiles haberet, de silentio morosiore quodammodo excusare, aut Caesari persuadere, etiam si qui minus viderentur, at esse tamen omnes de tanto beneficio laetissimos erga ipsumque gratissimos. Quibus haec adiungimus Wormii: „vidit Cicero senatores sibi dicenti gratiasque agenti, ore, vultu, oculis assentientes atque fatentes, eum, quae ipsi cogitarent, sentirent, vellent, recte interpretari.“ De quo more senatorum cf. Tacit. hist. IV, 4.

Atque haec quidem sunt loca, quae viris doctis visa sunt *ab illius aevi historia* aberrare. In quibus si unum vidimus merito notatum, hinc non omnis oratio, sed hic ipse tantum locus videri adulterinus potest: nec vero magis, si reliqua cum historia concinunt, idcirco omnia genuina dixerim, quando nihil obstabat, quin et grammaticus multa vere beneque conscriberet. Sed de his postea videbimus; hic tantum id velim animadverti, quod omnia in hac oratione unum idemque tempus significant, videlicet post Caesaris reditum ex Africa mensem fere secundum. Namque huic et Caesaris querela de insidiis congruit et senatus decretum de stipatoribus ei concedendis; (confer quae supra de hoc disseruimus) atque hoc fere tempore est Marcellus restitutus; (cf. epistolam famm. VI, 6. haec enim cum scribebatur, ille iam

erat restitutus, Ligarius nondum erat; ei vero, cum Caesar VI Kal. Sextiles Romam advenisset, mense Octobri veniam datam esse constat (famm. VI, 14.); deinde vero huic tempori aptae sunt exhortationes ad rempubl. ordinandam in orationis nostrae cap. VIII. IX. cet.; (cf. Dion. XLIII, 25. cet.) et hoc denique tempus significant illa de victoria Caesaris in orationis nostrae cap. VI. VII. cet., siquidem etiamtunc res Pompeianorum Hispanienses erant tam exiguae, ut Caesar haud dubie belli civilis victor haberetur, de eius vero in Hispaniam profectione cogitare nemini in mentem veniret. (Dion. XLIII. 16 et 28.).

Aggredimur ad eam huius dissertationis partem, in qua agetur de *prudentia*, quam vocant, *civili;* quae quidem praecipiat, „quid amicis ac bene de nobis meritis debeatur, qua moderatione de alienis et inimicis loquendum sit, qua arte in omni re agenda serviendum sit locis ac temporibus." Quam cum in Cicerone, et natura ad hoc egregie instructo et literis vitaque politissimo, fuisse maximam, sciamus, orationem ea prorsus destitutam, necesse est, eo indignam et suppositiam existimemus. Ac talem hanc dicunt esse Marcellianam, quippe in qua vel de rebus Pompeianis hoc modo iudicetur, quo si Cicero iudicasset, ipse aliquando Pompeianus, omnium sibi odium et contemtum excitasset, vel in Caesarem ea garriantur, quibus non potuisset non gravissime offendi. Sed enim, quoniam cum omnis prudentia, tum maxime haec civilis plurimum ex temporibus atque institutis quibusdam et moribus hominum pendet, nos in hac causa de

optimum eiusque causam iustissimam haberem, sed ipsum hominem amabam ita, ut eum deserere nullus possem, sive: non sum illum *officio publico* secutus, *belli ducem* opera mea et consilio adiuturus; sed *privato, amicus amico, homo homini,* quod debebam, redditurus; quod idem fere Matius prae se fert famm. XI, 28.) *Neque enim Caesarem in dissensione civili sum secutus; sed amicum, quanquam re offendebar; tamen non deserui.* Quibus cf. illa: (ibid. VIII, 14.) *causam illam, non homines odi.* Quae vero sequuntur: *ut nulla, non modo cupiditate, sed ne spe quidem, prudens et sciens tanquam ad interitum ruerem voluntarium* et cap. VI. 16. *Quoties ego eum et quanto cum dolore vidi, cum insolentiam certorum hominum, tum etiam ipsius victoriae ferocitatem extimescentem,* et ibid. 18.: *Alterius vero partis, nihil amplius dicam, quam id, quod omnes verebamur, nimis iracundam futuram fuisse victoriam,* nonne sunt fini orationis, quem modo proposuimus, aptissima ideoque optima? Neque autem omnino abhorrent a Cicerone, qui et vere sic sentiret et verbis multo gravioribus eadem ad familiares perscriberet. Conf. illa: (Att. IX, 1.) *Dabimus hoc Pompeio, quod debemus: nam me quidem alius nemo movet; non sermo bonorum, qui nulli sunt; non causa, quae acta timide est, agetur improbe; uni, uni hoc demus* cet. et *beneficium sequor, non causam.* VIII, 1. X, 7. famm. VI, 6. *Veritus sum deesse Pompeii saluti, cum ille aliquando non defuisset meae. Itaque vel officio, vel fama bonorum, vel pudore victus, ut in fabulis Amphiaraus, sic ego prudens et*

sciens ad pestem ante oculos positam sum profectus. Att. XI, 6. *tanta erat in illis crudelitas, tanta cum barbaris gentibus coniunctio, ut non nominatim, sed generatim proscriptio esset informata* cet. IX, 7. *mirandum in modum Cnaeus noster Syllani regni similitudinem concupivit, εἰδώς σοι λέγω: nihil ille unquam minus obscure tulit,* et X, 7. famm. IV, 9; 14. VII, 3. IX, 6 cet. Sed, qui orationem subditivam arbitrantur, haec concedunt quidem, sed opponunt „aliter illum ad amicos scripsisse, aliter publice iudicasse." Quae omnino vera sint licet, at illo die Cicero verba coram Caesare fecit iisque viris, qui non solum istam Pompeianorum crudelitatem omnemque causam aeque atque ipse haberent cognitam; sed qui etiam, quid Cicero de ea vel tunc sentiret vel antea sensisset, tam certo scirent, ut, si aliter iudicasset, eum, quod neque ex animo et vere, neque orationis fini convenienter dixisset, omnes fuissent maxime et iustissime reprehensuri. (Cf. ad haec Quintil. instit. or. III, 7. 23. *interest, ubi quidque laudetur aut vituperetur.*) De illis: „nos ex Ligariana et Deiot. cap. 4. extr. cognoscere nobis videmur, quomodo de causa et de Pompeio publice sentiendum duxerit Cicero", non est, quod multi simus: nam de iis haec habemus plana et distincta Ciceronis: *Errat vehementer, si quis in orationibus nostris auctoritates nostras consignatas se habere arbitratur; omnes illae orationes causarum et temporum sunt, non hominum ipsorum ac patronorum.* Atqui orationis pro Ligario finis erat virum, quod Pompeium secutus esset, defendere, neque aliud, in ea quidem parte, quae

ad nos attinet, erat Deiotarianae propositum. Cum autem uterque, quo pluribus atque honestioribus de causis se illi adiunxisset, eo facilius carere culpa videretur: apparet de ipsa re Pompeiana in his orationibus haudquaquam, ut in nostra, detrahendum, sed contra omnem, quantum liceret, laudandam fuisse et extollendam. Et tamen in Ligariana, eaque habita in populo, haec legimus (cap. IX.): *quanquam, ut nunc se res habet; non dubito, quin hanc salutem anteponas illi victoriae* et cap. VI. *fuerint cupidi*, (Pompeiani) *fuerint irati, fuerint pertinaces; sceleris vero crimine, furoris, parricidii liceat Cn. Pompeio mortuo; liceat multis aliis carere* cet. In Deiot. vero c. IV. cum id oratoris consilium postulet, Pompeio magna laus tribuitur quidem, sed simul in Caesarem tanta tamque splendida congeritur, prae qua ista paene nulla videatur. Sed iam vereor, ne orationem ab hac nota pluribus defendere vel ab acrioribus eius adversariis superfluum putetur; nisi forte hoc alicui scrupulum iniiciat, quod in ipsa hac oratione, videlicet post Ciceronis a parte Pompeiana decessionem prima, non sit verisimile, eum sententiam ac voluntatem suam monstrare voluisse adeo commutatam. Sed de hoc sat erit illa relegisse (famm. IV, 4.) *in hac sum sententia, nihil ut faciamus, nisi quod maxime Caesar velle videatur* et (famm. I, 9.) *non permanendum in una sententia, conversis rebus ac bonorum voluntatibus immutatis; sed temporibus assentiendum. Nunquam enim praestantibus in republ. gubernanda viris laudata est in una sententia perpetua permansio.* [illegible]: *Illud non*

obscure queruntur in meis sententiis, quibus ornem Caesarem, quasi desciverim a pristina causa .... tota iam sapientium civium, qualem me et esse et numerari volo et sententia et voluntas mutata esse debet .... Huc accessit commemoranda quaedam et divina Caesaris in me fratremque meum liberalitas, qui mihi, quascunque res gereret, tuendus esset; nunc in tanta felicitate tantisque victoriis, etiam si in nos non is esset, qui est, tamen ornandus videretur. At enim, cum Marcellus restitueretur, res erant adeo conversae, ut ex his quidem omnium sapientium civium et ipsius Ciceronis voluntas penitus deberet mutata esse. Siquidem tunc omnis penes Caesarem potestas erat, summa eius felicitas, victoriae eae, quibus esset imperium orbis terrarum assecutus, in ipsum vero Ciceronem et fratrem eius, alios permultos tanta magnitudo animi et liberalitas, ut, victi et capti, non vita solum, verum etiam pristina omni dignitate fruerentur.

Sed haec ipsa erat altera pars vituperationis, quod etiam Caesar, cum esset summopere laudandus, in hac oratione gravissime atque ineptissime obiurgetur et irritetur; velut in cap. VI. 16. *non enim iam causae sunt inter se; sed victoriae comparandae.* „Vix aliter posset quis dixisse, in hac praesertim iunctura, si hoc significare vellet: Pompeiana causa melior et superior fuit, sed victoria illorum gravior futura erat et insolentior." Sed vide, num haec iusta haberi reprehensio possit, cum ista locum antecedant (cap. V. 13.): *Omnes, qui ad illa arma fato sumus, nescio quo reipubl. misero funestoque compulsi; etsi aliqua*

culpa tenemur erroris humani, a scelere certe liberati sumus. et haec: *non ille hostes induxit in curiam, sed iudicavit, a plerisque ignoratione potius et falso atque inani metu, quam cupiditate aut crudelitate bellum esse susceptum.* Subtilior illarum causarum comparatio vel odiosa fuit, vel tunc plane inutilis; quae vero intererat comparari, Caesarianam et Pompeianam victoriam dico, ea in hac oratione sic comparantur, ut, si est habita, non potuerit Caesari non maxime probari.

Ex alio genere sunt, quae ad ista (cap. VI. 19.) adnotantur: *Cetera, cum tua recordabere, etsi persaepe virtuti, tamen plerumque felicitati tuae gratulabere* „inhumane, ne dicam maligne, pleraque Caesaris gesta referuntur ad felicitatem i. e. fortunam." Nec tamen haec sunt difficilia ad refellendum, modo cogitetur, in orationibus laudationes et vituperationes vel omnia iudicia ipsarum fini accomodari, quodque hinc factum et constanti oratorum usu quodammodo sancitum est, laudanda, quasi omnium optima et praeclarissima laudari; vituperanda ut pessima omnium ac deterrima condemnari; (quae eadem causa, opinor, in lingua latina, maxime ab oratoribus exculta, effecit latissime patentem illum et frequentissimum usum superlativi.) Nostrae autem orationis auctor, Caesaris clementiam laudaturus, eius laudes bellicas summas quidem et excellentissimas appellat, sed illam tamen virtutem iis etiam multo anteponit. (Cf. nostrae in hoc simillimam orat. pro Rab. Post. cap. XV et XVI.) Namque eam esse unius Caesaris, istas e militum virtute, opportunitate locorum, multis

aliis pendere; maximam vero earum partem, quasi suo iure, Fortunam sibi vindicare. Quae quidem, praeterquam quod communis usus excusationem habebant, vel ideo omni carebant vitio, quod, si quid gloriae Casaris ex altera parte detrahi videbatur, id ex altera addebatur; ut non plane opus sit commemorare, quod ubique legimus, illum vere Fortunae in rebus suis gestis et debuisse tantum et tribuisse, quantum alium fere neminem.

Ad illa vero cap. VIII. 23. *Omnia sunt excitanda tibi C. Caesar, uni, quae iacere sentis .... constituenda iudicia, revocanda fides, comprimendae libidines, propaganda suboles* cet. Wolfius animi causa, ut videtur, haec scripsit: „Nihil h. l. esset vituperandum, nisi Caesarem *(omnium mulierum virum)* excitavisset ad *propagandam subolem.* Nam ad hoc quoque, vel reluctante Scriptore, pronomina *tibi uni* supplenda sunt." Vix volet quispiam ad haec in oratione nequaquam petulanti a nobis aliquid responderi, praesertim cum ipse locus se natura sua plenissime defendat. Nam et illa: *tibi uni* longius remota sunt a: *propaganda suboles,* et haec antecedunt 22. *quis est omnium tam ignarus rerum, tam rudis in republ. . . . qui non intelligat, tua salute contineri suam, et ex unius tua vitam pendere omnium?* et: *doleoque, cum respubl. immortalis esse debeat, eam in unius mortalis anima consistere* et paullo post: *quae quidem tibi nunc omnia belli vulnera sananda sunt, quibus, praeter te, mederi nemo potest.* Cf. praeterea Wormium et Weiskium, locum ab ista nota, tanquam serio facta, gravissime defendentes.

De tribus autem, quae in hac parte supersunt, locis, quoniam eadem reprehensione afficiuntur, coniunctim videbimus. Sunt vero cap. VIII. 26. *vide quaeso, ne tua divina virtus admirationis plus sit habitura, quam gloriae,* et cap. IX. 28. (posteritas) *quae miretur, iam pridem multa habet; nunc etiam, quae laudet, exspectat,* et ibid. 29. *nisi haec urbs stabilita tuis consiliis et institutis erit, vagabitur modo nomen tuum longe atque late, sedem quidem stabilem et domicilium certum non habebit.* In his vel *admirationis* a *gloria* seu *laude* distinctionem ut Ciceroni alienam culpant, vel omnia affirmant aptius de magno latrone, quam de Caesare dici. Ac de prima quidem parte huius notae assentior Weiskio, qui censet, in talibus non tam, an idem etiam alio loco apud eundem scriptorem legatur, quam an ipsi genio linguae omnique rerum naturae conveniat, esse considerandum. Sin autem vere magna et eximia quaevis *admiramur* quidem; *laude* vero et *gloria* nonnisi ea prosequimur, in quibus species quaedam boni apparuerit: illam distinctionem inter *admirationem* et *laudem* seu *gloriam* manifestum est, etiam si nusquam alibi legeretur apud Ciceronem, tamen non debuisse reprehendi; atqui ea legitur de off. II, 9. 10. cet. *Perfecta gloria constat ex tribus his: si diligit multitudo; si fidem habet: si cum admiratione quadam honore dignos putat.* Cf. de off. I, 19. cet.

De, altera vero parte notae: („haec esse aptius in latronem, quam in Caesarem dicta") sic habeo persuasum. Ut mortalibus omnia bella odiosa, sic odiosissima sunt ci-

vilia. Etenim, quando ea, quae cum externis hostibus geruntur, plures ob causas necessaria videntur; in illis nonnisi paucorum quorundam funesta ambitio et superbia civitatem ruinis et cruore praeter necessitatem implet. Quamobrem eorum victores rebus fortiter gestis *admirationem* assequuntur quidem et clementia multorum etiam benevolentiam colligunt; sed tristis sane atque acerba est admiratio fortitudinis in fratribus, filiis, amicis nostris enecandis! clementia vero ista optatissima sit licet; attamen quis possit cogitari, qui, si optio daretur, ea mallet conservari, quam in tranquilla civitate prorsus non indigere? At vero, si illi viri bellis finitis ei dant operam, ut civibus, cui bono tot mala sustinuerint, appareat; ut, quem temere pervertisse videantur, ordinem rerum omnium diligenter restituant, legibusque et institutis in dies magis confirment: tunc veram *admirationem* et *gloriam* cum *laude* bonorum coniunctam sibi efficiunt, neque eam brevi pereuntem, sed stabilem ad omnesque aetates perdurantem. Haec autem et verissima sunt, et in nostra oratione scientissime et dignissime tractantur. Nam post amplissimam de Marcello gratiarum actionem splendidissimamque tum de victoria Caesaris tum de ipso praedicationem, denique honorificentissimam significationem spei, quae, nisi in eo uno, haberi in nemine possit: in his ipsis verbis a: *Quid, si istud* ad: *unquam sit oblivio,* Caesaris animus tanta cum arte nunc fortissime commovetur, nunc suavissime lenitur, acerbioraque dulcibus tanta cum sapientia temperantur, ut equidem mihi in iis ipsum videre Ciceronem videar. Sin autem

qui etiamnunc illa de offensione Caesaris occinant, ii, quid hic vir, ut pauci magnus et liberalis ipseque orator, arti oratoriae concesserit, ex his cognoscant (or. pro Lig. c. II. et III.): *M. Cicero apud te defendit, alium in ea voluntate non fuisse, in qua se ipsum confitetur fuisse: nec tuas tacitas cogitationes extimescit, nec, quid tibi, de alio audienti, de se ipso occurrat, reformidat. Vide, quam non reformidem; vide, quanta lux liberalitatis et sapientiae tuae mihi apud te dicenti oboriatur. Quantum potero, voce contendam, ut hoc populus Romanus exaudiat: Suscepto bello, Caesar, gesto etiam ex magna parte, nulla vi coactus, iudicio ac voluntate ad ea arma profectus sum, quae erant sumta contra te* cet. et (c. VIII.): *Vide, quid licentiae, Caesar, nobis tua liberalitas det, vel potius audaciae. Si responderit Tubero, Africam, quo senatus eum sorsque miserat, tibi patrem suum traditurum fuisse; non dubitabo, apud ipsum te, cuius id eum facere interfuit, gravissimis verbis eius consilium reprehendere* cet. Huc autem in nostra oratione accedit, quod, cum Marcellus restitueretur, omnes sperabant, fore, ut Caesar rempubl. restauraret (famm. IV, 4. VI, 10. IX, 17. XIII, 68.). Tunc ergo et illa fortitudo optime conveniebat Ciceroni eum ad hoc exhortanti, nec tunc, si egregiis Caesaris laudibus praeclarissimam illam ex ordinata republ. adhuc deesse dixit, hoc malevola eius gloriae diminutio videri potuit seu reprehensio, sed ipsa, qua eum ad pulcherrimum opus suum quam primum perficiendum incitaret, gravissima et sapientissima exhortatio.

Nunc vero nobis quaerendum est de crimine, quod nostrae orationi, de imprudenti adversus Caesarem asperitate atque audacia reprehensae omnium alienissimum videatur; nempe „humilis et servilis adulationis et sensus turpiter abiecti." Nec vero potuit fieri, quin haec plane contrariorum vitiorum, ut appellant, in eadem oratione coniunctio ab eius adversariis non modo Cicerone indigna, sed omnino inepta iudicaretur; at equidem hoc iudicium et iniustum habeo et facillimum refutatu. Nam posteaquam Romani studio immoderatissimo atque instantem reipubl. interitum vel praesignificante vel ipso maxime accelerante Pompeium quibuscunque honoribus cumularant: eo victo et mortuo, alii studio et cupiditate, alii, crudelissimorum Marii et Syllae temporum memores, formidine, in Caesarem victorem tantos congerere honores coeperunt tantaque ornamenta, ut velle viderentur ei non solum honorum Pompeio habitorum, sed pristinae omnis reipubl. memoriam auferre. Cf. Dion. XLIII, 14., ubi inter alios honores inauditos haec ei a senatu decreta esse legimus: ἅρμα τέ τι αὐτοῦ ἐν τῷ Καπιτωλίῳ ἀντιπρόσωπον τῷ Διῒ ἱδρυθῆναι, καὶ ἐπὶ εἰκόνα αὐτὸν τῆς οἰκουμένης χαλκοῦν ἐπιβιβασθῆναι, γραφὴν ἔχοντα, ὅτι ἩΜΙΘΕΟΣ ἘΣΤΙ cet. ad quae cf. intpp. ex aliis scriptoribus complura similia afferentes. Verum enimvero, cum egregiam viri clementiam et liberalitatem cognoscerent ac viderent, eum non tam civitatis tyrannum esse velle quam principem: factum est, ut, qui serviliter eius nutum observarent, qui sese ad eius pedes abiicerent (famm. IV, 4. orat. pro Lig. cap. V.), qui denique divum et semideum vocarent: iidem alias li-

centius et, quasi libera respubl. esset, tum loqui auderent, tum multa etiam facere (famm. IX, 16. orat. pro Lig. capp. II. III. VIII. Suet. Caes. c. LXXV. LXXIX. cet.). Num vero differt ab hac illa in nostra oratione summarum blanditiarum cum summa libertate commistio? et, si non differt, num potest per se quidem inepta et Cicerone utique indigna iudicari? Sed haec tanquam in praefatione dicta sunt: nunc aggredimur ad ipsas doctorum virorum de illa adulatione sententias explorandas. „Quis poterit non aegre ferre atque adeo ingemiscere orationem ita demissam factamque plane ad adulatoriam servitutem! . . . Manifesta est Marcellianae a Ligariana et orat. pro Deiotaro ea diversitas, quod longe humilius ad victoris pedes se abiicit magnus consularis in nostra quam in reliquis duabus." Spald. pag. 9. At vero, ut saepius monui, orationes nonnisi cautissime esse hoc modo comparandas, ita hic Ligarianam et Deiotarianam, ex quibus nostra existimaretur, perquam incommode positas esse censeo; siquidem illae defensiones sunt, haec maximam partem ad genus laudationum attinet. Sin qui velint de hoc pluribus agi, primum quidem de oratione pro Deiot. haec habeant ipsius Ciceronis: (famm. IX, 12.) *oratiunculam pro Deiotaro, quam requirebas, habebam mecum, quod non putaram. . . . Quam velim, sic legas, ut causam tenuem et inopem nec scriptione magnopere dignam; sed ego hospiti veteri et amico munusculum mittere volui, levidense, crasso filo, cuiusmodi ipsius solent esse munera.* Ligarium v[illegible]defendit Cicero ab accusatore iuvene [illegible], causam in-

consideratius agente; quare in hac oratione non iis praecipue dedit operam, quibus Caesarem efferret; sed quibus illum nunc irridendo, nunc vituperando, nunc adeo accusando in summas angustias compelleret. Quae cum ita sint, quis miretur, si hae orationes adulatione careant; sed item quis, iustus nimirum, eas nostrae comparet? Namque eo die, quo Marcello reditus concedebatur, Cicero post veniam a clementia Caesaris impetratam primum pristino more suo verba fecit. Quid igitur ei magis esse cordi potuit, quam huic viro publice pro excellenti beneficio animum gratissimum ostendere laudesque in eum exquisitissimas et amplissimas conferre? Nec tamen, quod in hoc genere ante istam rerum commutationem exquisitum et amplum visum fuerat, idem etiam tunc videbatur; sed, postquam senatus Caesari honores illos paene divinos decreverat, Cicero quoque eum ore pleniore laudare et rarissima ac splendidissima quaeque habere optima debebat. Neque eum id gravate, sed libentissime fecisse dico et laetissime. Nam, cum Caesar proximo a reditu suo ex Africa tempore rempubl. sic administrasset, ut senatus consulta faceret, non consulens senatum, eorumque nomina istis adscriberet, cum ipsi neque ea scribi, neque ad quod scriberentur, compertum haberent (famm. IX, 15.); ut denique omnia ex unius suo arbitrio gereret, ne amicos quidem intimos in consilium adhibens (famm. IV, 9.) tunc omnia fieri meliora coeperunt; iucundissima spes de reformanda rerepubl. illucescebat; ipso vero illo die Marcellus, vir optimus et Ciceroni usu eademque studiorum ratione coniunctissimus, a Caesare, cui

gravissimo esset odio, senatui roganti erat praeter omnium spem clementissime condonatus. Atque his tam multis tamque gravibus de causis, si Cicero illum virum summopere laudare et debebat quam maxime et volebat: non intelligitur, quo modo haec pro eo nimis adulatoria videri possit oratio, in qua, ut supra memoravimus, magna laudum pars nonnisi ad hoc posita sit, ut alia quaedam acerbiora mitigaret; summae vero laudes non iis tribuantur virtutibus, quae Caesarem tyrannum, sed quae restitutorem libertatis efficerent, in quaque denique omnia plenissime illi aevo labentis ac lapsae reipubl. congruant. Etenim talia omnino pernego in his posse numerari, qualia sunt in cap. IV. 12. *Nam, cum ipsius victoriae conditione iure omnes victi occidissemus* cet. aut enim viri docti de his in nostram, quam postea feremus, ibunt sententiam, aut, sicut in pluribus codicibus est, omittent vocabulum *iure*, aut Weiskio assentient haec disserenti: „Mihi est prorsus exploratum, ut nihil habeam certius, exiguam, sed magni h. l. momenti particulam, ET inter *conditione*, et *iure* a librario esse omissam. Hoc et res et usus Ciceronis credere iubet: et quam facile illa fuerit neglecta, patet. Vidit et Patricius. Quomodo, non dicam Cicero, sed ineptus rhetor, qui scripturus esset illa §. seq. et ante oculos haberet similia pro Lig. §. 17.... 19, dicere potuit, *iure* interfici potuisse omnes Caesaris adversarios? Qui se et Pompeianos non hostes dicit fuisse Caesaris aut reipubl, sed cives humano quodam errore deceptos, isne defendere potest, *iure* hos omnes necari debuisse? Atqui idem ille vel Cicero vel

declamator videre debuit, repugnare inter se *victoriae conditione occidere* et *iure* (absolute dicto) *occidere;...* Sed hoc neque ineptum neque turpe dictu erat, neque adeo ingratum auditu senatoribus, quod saltem est verissimum, *ex iure victoriae*, h. e. ex arbitrio victoris, pependisse vitam illorum omnium. Prorsus eodem sensu pro Deiot. c. 9. dicitur Deiotarus a Caesare *belli lege* potuisse interfici. Synonymorum coniunctionem esse Ciceroni usitatissimam, constat. Eam maxime sequitur in rebus, quae habent aliquid dubitationis et cautionis. *Victoriae conditio* parum erat; v. *ius* rursus nimium; coniungit igitur ambo, ut vis *iuris* verbo *conditionis* limitaretur. Illa duo coniunguntur etiam ab auctore de Legg. III, 1: *aptum est ad ius conditionemque naturae.*"

Sed de his videndum in cap. II. 6. (Tua quidem facta) *ego nisi ita magna esse fatear, ut ea vix cuiusquam mens aut cogitatio capere possit, amens sim; sed tamen sunt alia maiora*, in quibus Spaldingius „insanam adulationem" vituperat (pag. 14.) et Weiskius etiam res Caesaris gestas iusto altius, imo ad infinitam altitudinem efferri dicit. At ego sensum quidem loci non vituperandum puto, siquidem hic est: si quales et quot tu res gesseris, consideramus, vix capimus mente, quomodo eae unius esse hominis possint; sin autem, quantum in iis militum virtus, locorum opportunitas cet. te adiuverint, contemplamur: intelligimus, alia esse posse etiam maiora. Haec vero expressa sunt ita, ut etiam Cicero ea exprimere potuit, tunc praesertim, cum senatus res Caesaris gestas tantas tamque admirabiles iudicasset,

ut ipsi, a quo essent gestae, veluti semideo pulvinar et simulacrum consecraret. Atque nostro in loco etiam idcirco dicas de Caesaris rebus gestis esse tam splendide praedicatum, quo earundem insequens diminutio ei minus ingrata videretur.

In illis autem cap. VII. 21. *Non est credibilis tantus in ullo furor, ut, quo duce omnia summa sit adeptus, huius vitam non anteponat suae* iniuste „nimium et φορτικώτατον quiddam" vituperant; quippe „notissima sunt talia et non solum in orationibus, sed etiam in dialogis et epistolis leguntur: *pro illo emori possum* (Att. VIII, 2. famm. II, 15.) Audiamus modo nostrum in epp. ad divv. I, 4. *Si vitam pro tua dignitate profundam, nullam partem videar tuorum meritorum asserutus.*" Weiskius.

Verum gravissime omnium haec notant in cap. VII. 22. *Equidem de te ... reip. credamus.* „Dies noctesque, pro eo ac debuit, de Caesare sollicitus fuit, non insidiarum quarundam metu, quem falsum esse sperabat, sed *hominem natum* dolens. Iam imprimis dolet, ab unius huius mortalis anima pendere rempubl. Omnia haec sunt assentatoris, tyranno palpantis suo, non Consularis viri, principem Senatus vel Dictatorem laudantis.... Ad extremum Caesari etiam plus quam divinam potestatem tribuens, non dubitat impie loqui, quo splendidius rhetoricet." Wolf. Atque huc, ut videtur, etiam illa pertinent in cap. III. 8. *haec qui faciat ... simillimum deo iudico;* cum vero parum eluceat, quid ipsum viri docti in iis reprehendant, sufficiet haec adscribere Wormii: „Notum est, similes verborum formas, in

in laudibus virorum praestantium, a latinis frequentari, qui, cum hominem vellent ore pleniore laudare, hunc *divinum*, hunc *deum* appellarent. Neque ea res mirationem facere potest, deos illos publicarum religionum cogitantibus, quorum certe non alia aut maior divinitas erat, quam ut in homines egregios posset, sine impietate, conferri. Cf. Ciceron. de Orat. I, 23, 2. *Equidem te cum in dicendo semper putavi deum* cet. II, 42, 6. *dispositio argumentorum, in qua tu mihi semper deus videri soles* et 74, 1. Nat. Deor. II, 12, 1. cet." Nec vero difficilior est defensio illorum in cap. VII. Nam primum quidem istis: *Equidem ... consistere* orator non, quia et Caesari aliquando mors obeunda, sed quia, eo mortuo, respubl. in extremum periculum ventura sit, propterea se *dies noctesque de eo cogitare* dicit ac *dolere, rempubl. in unius mortalis anima consistere.* Neque ego quidem in his adulationem video, praesertim recens ab illis de Roscio comoedo, homine cum Caesare nulla ratione comparando: *qui, cum esset senex mortuus, tamen propter excellentem artem ac venustatem videbatur omnino mori non debuisse.* (pro Arch. c. VIII.). Sed deinde, rempubl. tunc vere in unius Caesaris anima constitisse, cruentissima, quibus post eius mortem vastabatur, bella tam plene comprobant, ut non opus sit ipsius magni dictatoris de hoc verba laudari: (Suet. Caes. LXXXVI.) *Alii ferunt, dicere solitum, non tam sua, quam reipubl. interesse, uti salvus esset: ... rempubl., si quid sibi eveniret, nec quietam fore et, aliquanto deteriore conditione, civilia bella subituram.* Quandoque autem illa tam fuerunt

vera, quam quae maxime: non sentimus servilem adulationem in verbis: *doleoque* cet., eadem plane saepius etiam de Pompeio legentes, velut in orat. pro lege Manil. c. XX. et pro Mil. c. VII. Illa denique: *si vero ... credamus*, si nobis, non ideo Romanis impia visa sunt, nimirum talibus ita assuetis ut simillima vel in sermone familiari et epistolis invenias. Cf. praeter loca ab Wormio ad c. III. laudata Att. IX, 6. *eripe mihi hunc dolorem aut minue saltem ... quid tu autem possis? aut quid homo quisquam? vix iam deus.* et or. c. V. *Investigemus hunc igitur, Brute, si possumus, quem nunquam vidit Antonius ... quem si imitari atque exprimere non possumus, quod idem ille vix deo concessum esse dicebat* cet. Si vero haec paullo minus audacia sunt quam noster locus, cogitandum est, eum esse in oratione, eaque a Cicerone, tunc temporis, atque ea in re habita. Quae qui cogitaverit, non modo eum non habebit nimium, sed etiam, certo scio, mecum affirmabit, multum ac plurimum abesse, quin haec omnis oratio tanto sit ceteris Tullii orationibus magis adulatoria, quanto Caesar tunc videretur omnibus viris antea laudatis magis laudandus. Sed quoniam in hac re non potest non gratissimum esse, scire quemadmodum Cicero se illis temporibus omnino gesserit, haec velim inspici Plutarchi (vit. Caes.): *τιμὰς δὲ τὰς πρώτας Κικέρωνος εἰς τὴν βουλὴν γράψαντος, ὧν ἀμωσγέπως ἀνθρώπινον ἦν τὸ μέγεθος* cet. et (vit. Cic.) *σπανίως δ' εἰς ἄστυ θεραπείας ἕνεκα τοῦ Καίσαρος κατῄει καὶ πρῶτος ἦν τῶν συναγορευόντων ταῖς τιμαῖς καὶ λέγειν ἀεί τι καινὸν εἰς τὸν ἄνδρα καὶ τὰ πραττόμενα φιλοτιμουμένων* et haec in oratione, quam

hic quasi normam proposuere, pro Deiot. c. XII: *De plausu, quid respondeam? qui nec desideratus unquam a te est, et nonnunquam, obstupefactis hominibus, ipsa admiratione compressus est et fortasse eo praetermissus, quia nihil vulgare te dignum videri potest.*

Atque ita, cum etiam de *adulatione* dictum est, de ea nostrae quaestionis parte, quae *testimonia* et *argumenta* ex *illius aevi historia* ipsiusque *Ciceronis moribus* et *ingenio* continet, ut mihi videtur, constat. Quoniam vero non in ea versamur causa, in qua simpliciter congerenda sint omnia, quae certam quandam opinionem seu refutent seu confirment; sed debemus diversissima, quae in re mirabiliter impedita prolata sunt, argumenta percensere, alia, prout videntur, redarguentes, alia comprobantes: iam, ut res possit clarius conspici, volumus, quae hactenus in ea vera aut verisimilia invenimus, hic omnia repetere atque in unum componere; sic tamen, ut de ipso, quo rem egimus, ordine paullulum decedamus, videlicet litis quidem illius naturae imprimis apto, rei tamen omni facile conspiciendae multas ob causas minus commodo. Ac primum quidem *est quam verisimillimum, Ciceronem haud ita multo post quam Caesar ex Africa rediisset, in senatu dixisse hoc modo, ut primum illi de restituto Marcello gratias ageret, tunc ad eius querelam et relationem de insidiis censeret; atque id quidem non paucis quibusdam, sed tot fecisse verbis videtur, quot facile, si scribebantur, orationem efficerent. Cum autem rebus plurimis nobis persuasum sit, ea vere esse scripta: hae*

ipsa, de qua disceptatur, oratio non modo illis omnibus ac testimoniis citatis manifesto convenit plenissime; sed etiam, si unum locum, sine controversia insitivum, exceperis, eam patet omni historiae illius aevi ita congruere, ut ex hac parte nulla de ea exoriri suspicio possit. Nec magis haec oritur eo, quod viri docti orationem de inopia prudentiae civilis adulationeque vituperarunt. Nam licet nunc non posset talis sine offensione quadam haberi; at Romanis eius aevi et Ciceroni tam in hoc potissimum apta est, ut paene miraremur, si non esset ab eo ipsoque, quod omnis constanter significat, tempore tum habita tum conscripta.

Nunc vero nobis reliquum est, ut de *genere dicendi* in hac oratione et de *omni eius compositione rationeque rhetorica* exponamus; de qua Spaldingius, ut mihi videtur, parum probabiliter, haec scripsit (pag. 16.): „Quod si ex scholastica disciplina censum agere libuerit opum rhetoricarum, quae sint huius, qui videri vult, Ciceronis, erit profecto quod ipsius memineris sic praecipientis „(Famill. 7, 32.) nisi acuta ἀμφιβολία, nisi elegans ὑπερβολή, nisi παράγραμμα bellum, nisi speciosum παρὰ προσδοκίαν apparebit — sacramento contendas, mea non esse." Videlicet haec Cicero de salibus et facetiis suis scripsit; in orationibus vero aestimandis longe alia praecipiuntur, quin imo, quae hic laudantur, ea ipsa in nostra oratione maxime vituperantur, ἀμφιβολίας dico et ὑπερβολάς: παραγράμματα vero quis exspectet in oratione? At equidem hic cum Wolfio (praefat. ad Cic. oratt. IV. pag. XXXI—XXXVII.) de *ratione grammatica, logica*

sententiarum veritate, elegantia, ceteris virtutibus rhetoricis quaerendum puto, in hoc tantum a viro praeclarissimo dissentiens, quod non, ut ipse, opus, in quo ista minus splendeant, propter id ipsum illi sine dubio abiudicandum habeo. Etenim, ne decantata recinam de *dormitante Homero*: sed illa me praecipue movent Ciceronis, gravia sane et in hac omni causa bene cogitanda (Att. III, 12.): *Percussisti me de oratione* (in Curionem) *prolata; sed quia scripta mihi videtur negligentius, quam ceterae: puto posse probari, non esse meam.* Apparet, quid ex his possit colligi, nempe: sicuti hanc orationem videamus ita fuisse scriptam, ut, quamvis esset Tulliana, tamen non esse probari posset: sic nostram, licet quibusdam non esse videatur, attamen esse Tullianam. Verum si in Ciceronis opere negligentius scripto naevos quosdam leviores, v. g. singulorum inter se nexum paullo dissolutiorem, eiusdem vocis et sententiae repetitionem, si frigida nonnulla, tumida alia eiusmodi feramus: meras tamen ineptias, ubicunque invenimus, eo indigna iudicamus. Hoc igitur est, de quo nunc videbimus, nimirum qualia ipsa sint, quae in nostra oratione hoc nomine culpantur. Quare iam ad ipsum primum eius caput aggredimur.

CAP. I.

In hoc capite primum in his: *diuturni silentii finem hodiernus dies attulit idemque initium ... dicendi)* sententiae ieiunitatem quandam vituperant: „haud dubie, qui dies finem

affert silentii, idem dies habet loquendi initium." Wolf. ad quae Wormius respondet: „silere non simpliciter τω *dicere* ab oratore opponitur, sed τω *dicere pristino more*, quae res est longe alia" et Weiskius: „Libertatem in dicendo pristinam promittit. Poterat vel scholiastes monere, qui ad haec verba sic: „ecce iam plena libertas!" At, si orator hic libertatem in dicendo promittit, efficitur, eum ante illum diem non ausum esse hac uti libertate. Quandoque vero, qui non audet libere agere, non esse sine timore potest: in hoc loco ex eius defensorum interpretatione non ieiunitatem vituperes, sed repugnantiam; siquidem eius sensum hunc esse statuunt: Tam diu *silui, non timore aliquo*, sed partim cet.; ab hoc vero die, finito silentio, *libere* i. e. *sine timore dicam*.

Imprimis autem in his laborarunt orationis interpretes: *non timore ... verecundia)*, nec vim istius *verecundiae* sat clare intelligentes et maxime de odiosissimo vocabulo *dolore* dubitantes. Nimirum alii ad id retulerunt ista *dolebam enim, P. C.*; sed omnes vident, haec esse nimis remota; alii vero istum *dolorem* esse putaverunt de mutatione et clade reipubl.; sed quomodo potuisset hoc coram Caesare dici? Weiskio denique illa omnia *non timore ... verecundia* „ab aliquo glossatore ad marginem scripta et deinceps a librario inserta" visa sunt; sed qui ultro, cum liceret loqui, se diuturno silentio usum esse commemorat, nisi vult ineptus haberi, cur id fecerit caussam addere debet, idque hoc loco fit ipsis illis: *non timore aliquo ... verecundia*.

„Praeteritum *eram usus* minus commode

iunctum est verbo *attulit*, quod h. l. non aoristum seu praeteritum est, sed praesens rei perfectae; qua potestate proxime accedit ad alterum praesens *affert*." Wolfius. Worminus et Weiskius de his varie censuerunt; ego vero eiusmodi notas omnino in his quaestionibus leviores dicam. Nam, si vix potest fieri, ut declamator talem orationem scribere conans vernaculae suae linguae tam rudis sit, ut tempora prorsus inepte iungat: si non inepte, sed tantum „minus commode" iuncta sunt, ut mea quidem opinio est, etiam Ciceroni tribui possunt, praesertim in oratione, quae videatur omnis paullo negligentius scripta. Sed, (vix audeo dicere, cum locus ei viro displicuerit), sed ego in eo nihil prorsus video inepti. Nimirum, (res enim est paullo altius repetenda) *perfectum*, quod vocant grammatici, *rem* sive *actionem perfectam* exhibet idque hoc modo, ut necessario *praesens* quiddam sequatur; velut, si dico, *scripsi*, *dixi*, aut si apud Virg. Aeneas dicit: *fuit* Ilium: *scribendi* seu *dicendi actio*, Ilii *existentia perfecte* finita significatur et *praesens* exstat *scriptum*, *sententia*, *Ilii ruina*. At vero *tempus*, quo *actio* scribendi, dicendi cet. perfecta est, quamvis saepenumero proxime ad praesens accedat, tamen ex natura sua fugacissima utique est *praeteritum*; nam in ipso *praesenti* a *scribendo conquiesco*, *sileo* cet. Atque idem nostro in loco videre licet, in quo *silentium* quidem *perfecte finitum* et *dicendi initium praesens* habemus; *temporis* autem momentum, quod ipsum, silentio isto finiendo, dicendi initium attulit, est *praeteritum*, siquidem in *praesenti* orator *loquitur*. Si vero

de *perfecta illa actione scribendi*, sive *de silentio finito* sum aliud *quiddam praeteritum* elocuturus: aut *ad nullum certum temporis momentum respiciens*, sed nihil nisi ipsum *praeteritum* exprimens, *aoristo* utor: Tandem *scripsi* epistolam, quam *sum* hoc tempore *meditatus*; hodiernus dies *attulit* finem silentii, quo *sum* his temporibus *usus*; aut *id praeterito illi, quo ipso res perfecta est, temporis momento arctius quodammodo annectens eiusque ante hoc antecessum designans*; *plusquamperfecto* utor: Tandem *scripsi* epistolam, quam *eram* hoc tempore *meditatus*; hodiernus dies *attulit* finem silentii, quo *eram* his temporibus *usus*. Quae si etiamnunc aliqua egent confirmatione, exempla nostra paullulum mutemus: *Heri* tandem *scripsi* epistolam, quam *eram* hoc tempore *meditatus*; *hesternus dies attulit* finem silentii, quo *eram* his temporibus *usus*. Namque in his nihil impedit, quominus *scripsi* et *attulit*, ut antea, vim, non *aoristi*, sed *perfecti* habeant; sed vocabula *heri* et *hesternus dies* ipsius, quo res perfecta est, *momenti praeteriti* remotionem clarius exprimunt atque ita, opinor, nos *plusquamperfecto* magis conciliant.

„Qua ratione hoc tempore *sapientia* Caesaris laudetur *incredibilis ac paene divina*, id equidem me non videre fateor." Wolfius. „Sapientia hic consistit in moderatione, qua Caesar iram cohibuit mitemque se praebuit et clementem. Ergo re et natura non differt ab illa virtute, quam auctor pluribus nominibus appellavit, sed tantum gradu. Nam *sapientia* universe, σοφία, nomen est summae scientiae et virtutis, et sic etiam *animi magnitudinem* et *iustitiam*

complectitur. Cic. de fin. III, 7. de off. III, 3. 4. pro Lig. c. 3. Deiot. c. 2." Weiske.

Tantum in summa potestate rerum omnium modum.) „Primum nullo exemplo apparebit, ita simpliciter a Cicerone dici solere *modum* pro moderatione vel actione moderandi animi." Wolfius. Contra haec autem Wormius illa posuit: „Apud Ciceronem *modus* haud raro ita dicitur, ut, quid aliud, nisi moderationem significare possit, fatear, me non videre. v. c. orat. pro P. Quintio c. 7. *Existima modo et ratione omnia Naevium fecisse.* de orat. I, 15. *sin quae res inciderit, in qua de natura, de cupiditatibus, de modo, de continentia — dicendum sit*" cet. „Altera offensio est in ancipiti collocatione verborum *rerum omnium:* quae, quamvis non dubites quin Auctor ad *modum* retulerit, tamen, ut idem facerent ceteri, non nisi subiuncta explicatione cogi poterant ... Ex hac autem duplici castigatione oritur simul alia itidem duplex. Nam si quis putet, Oratorem iunxisse *in summa potestate rerum omnium,* additis duobus vocabulis plus ille tribuit Caesari, quam Cicerone dignum esset facere, apud Senatum dicente, et ipsi Dictatori gratum vel tolerabile auditu esse posset .... Sin autem *rerum omnium modum* coniungas, Orator in eandem reprehensionem incurret, quam antea merebatur in *divina sapientia;* siquidem eo uno die omnibus in rebus moderationem praestare non licuit Caesari." Si in h. l. quaedam est ambiguitas, ea et Ciceroni elabi potuit festinantius scribenti; sed equidem sine ulla dubitatione verba *rerum omnium* ad *summam potestatem* referenda iudico,

sicuti Harusp. resp. c. VI. legimus: *populus Romanus, cuius est summa potestas omnium rerum.* Neque hoc facto in nostro loco quicquam vel Cicerone indignum, vel Caesari intolerabile auditu video, sed de hoc Wormio assentior: „Multum quidem Caesari tribuit, non tamen ultra id, quod res erat, aut quod Marcello scripsit (IV, 7.): *Sed cum ita late pateat eius potestas, quem veremur, ut terrarum orbem complexa sit* ... aut quod dictatori ipsi, intra domesticos parietes, nulla aurium reverentia cohibitus, in os dixit (Deiot. 5.): *Cuius tantae ferocitatis, victorem orbis terrarum non extimescere.* Sed hoc dixit in Senatu. Audio. Sed in eo senatu, qui Caesari ante, quam ex Africa Romam rediisset, tantos honores et ampliora humano fastigio decreverat: (Dio Cass. XLIII, 14, 19. Suet. Caes. 76.); qui hora eadem ad Caesarem supplex cum lacrymis accesserat; et in quo C. Marcellus se ad Caesaris pedes obiecerat" cet. Sed, quod maximum est, ad *modum* illa *rerum omnium* protsus nequeunt referri. Nam nec Caesar eo uno die potuit omnibus in rebus moderationem praestare, nec declamator dicere, se eam, qua Caesar tunc soleret uti, moderationem non posse silentio praeterire; quia, si hoc dixisset, non potuisset ipse diuturno, quo se usum esse commemorat, silentio uti.

§. 2. *M. enim Marcello ... restitutam puto)* „verbum *puto* haud feliciter electum videtur, multoque aptius futurum fuisse *sentio* aut *intelligo.* Quod enim de propria voce et auctoritate dicitur, id plane eiusmodi est, ut in eo non opinio quaedam, sed certa persuasio, sed certus animi sensus

locum habeat." Wolf. Sed „vocabulo *puto* (ex Graeca urbanitate quadam) nullum in Cicerone frequentius" Worm. idque, „cum per se plus sit, quam opinor, idem est h. l., quod fictum aliquid, ut verum, in animum meum induco cet. Sic adhibetur de divin. II, 2. extr. *In libris sententiam dicebamus, concionabamur, philosophiam nobis pro reipubl. procuratione substitutam putabamus.* Clarius etiam ad div. XVI, 17: *Valetudo tua me valde sollicitat; sed inservi et fac omnia: tum te mecum esse, tum mihi cumulatissime satisfacere putato.*" Weiske. His adde famm. I, 1.: *tanta enim magnitudo est tuorum erga me meritorum, ut, quia tu, nisi perfecta re, de me non conquiesti: ego non idem in tua causa efficio, vitam mihi esse acerbam putem.*

Nec mihi persuadere poteram) „importune interiectum olim Faërno displicuisse refert Ursinus. Rectissime: nam illi sententiae, *versari me in nostro* etc. non magis congruit verbum *persuadendi*, quam paullo ante *putandi.*" Wolf. Sed in hoc ipso loco maxime inest species illius, de qua saepius locuti sumus, negligentiae. Nempe dicas auctorem voluisse scribere: *nec mihi persuadere poteram, ut versarer in veteri* cet.; cum vero id ei languidius videretur, addidit: *nec fas esse ducebam* atque iis, verbi *persuadendi* oblitus, accomodavit, quae sequuntur: *versari me in nostro* cet.

Quasi quodam socio et comite) „Haec adiectio habet speciem vitiosi tumoris in corpore: quid enim aliud est *studiorum aemulus*, quam *socius* et *comes*? Nam si forte Auctor scribere voluit, *comite cursus* seu *iti-*

neris, omnis censura nostra ad ea pertinet, quae scripsit homo, non quae fortasse voluit scribere." Wolf. Sed „peccasset auctor, si voluisset scribere *comite itineris*. Nam a *curriculo* petierat metaphoram. Hanc ut servaret, neque uno verbo defunctus et ad propria statim revolutus locum durum faceret... subiecit *quasi quod. s. et c.*" Weisk.; ad quae de vi vocabulorum *comitis* et *socii* haec adiungantur Ciceronis: *me quidem certe tuarum actionum, sententiarum, voluntatum, rerum denique omnium socium comitemque habebis.*

De *imitatore studiorum* Wolfius dicit (pag. IX.): „mihi quidem de Consulari viro displicet voc. *imitator*, etsi de minore natu." cet. Weiskius autem (pag. 29.) de his haec habet: „*Imitator* non solum est is, qui ad alterius exemplar se componere studet, neque id prorsus assequitur, sed etiam simpliciter, qui idem agit, eadem studia sequitur, ita ut hoc non simul significetur, eundem esse inferiorem, et rem suam agere deterius, sed ut etiam aemulum illum superare possit. Hoc sensu apud Ciceronem de orat. I, 54. P. Rutilius dicitur *imitatus esse* Socratem. Scilicet eodem modo egit, non Socratis exemplum exprimere studuit. In Oratore autem c. 2. est *non potuerunt Coae Veneris pulchritudinem imitari.* Quid? non potuerunt illud exemplum habere propositum? Imo hoc cuivis puero, colorum tritori, licet. Non potuerunt igitur *speciem muliebris corporis aeque pulchram* exhibere. Eodem in Or. c. 23. *imitabilis* dicitur orationis subtilitas plane eodem sensu, ut *eodem modo, aeque bene* possis dicere, non solum accedas ad si-

militudinem illius orationis. In epp. ad div. IX, 20. dicit auctor: *In ea coena cocus meus praeter ius fervens nihil potuit imitari h. e.* aeque bene coctum et conditum parare" (quibus cf. Cic. ad Att. I, 14.: *Messalla Consul est egregius, fortis, constans, diligens, nostri laudator, amator, imitator;* et or. c. V. *Investigemus hunc igitur, Brute, si possumus, quem nunquam vidit Antonius, aut, qui omnino nullus unquam fuit, quem si imitari atque exprimere non possumus, quod idem ille vix deo concessum esse dicebat* cet.) „Sed in loco, quem defendimus, ne qua esset ambiguitas, Cicero praemisit vocabulum *aemuli:* nam qui inter se aemulantur, sunt fere pares ea ipsa facultate, ex qua laudem petunt. Addidit praeterea *quasi quodam ... distracto*, ut eo magis pateret, quod et totus locus declarat, non tam Marcellum imitatione Ciceronis profecisse, quam Ciceronem illius imitatione fuisse excitatum."

Ergo et mihi meae cet.) „Postquam ter appellavit Patres Conscriptos, convertitur tandem ad Caesarem." Wolf., de quibus non placent illa Weiskii: „Non meminerat ergo vir doctus, hunc fuisse morem, ut, qui verba facerent in senatu, sententiamque dicerent, non consulem, sed senatores alloquerentur, vocarentque *Patres Conscriptos.*" Nam primum V. cl. sibi parum constat, quippe qui alio loco, his non sententiam dici, sed Caesari gratias agi demonstrarit; tunc vero, quanquam mos erat, ut, qui in senatu sententiam dicerent, P. C. appellarent: hoc tamen non impediit, quo minus oratores semper eos ipsos alloquerentur, cum quibus rem

habebant, velut Cicero in Catil. I, 1. Catilinam et Phil. VIII, 1. X, 1. consulem appellat: *Confusius hesterno die est acta res, C. Pansa* cet. et: *Maximas tibi, C. Pansa, gratias omnes et habere et agere debemus;* cet. in orationibus vero pro Lig. et pro Deiot., nostrae in hoc simillimis, non P. C.; sed Caesarem alloquitur: *Novum crimen, C. Caesar* cet. et: *Cum in omnibus causis gravioribus, C. Caesar* cet.

Commemoratis praesertim offensionibus) „*Praesertim* minime est suo loco positum." Wolf. Ante *commemoratis* poni debuit; sed hoc est levius, quodque negligentius scribenti facile excidat.

Ex quo profecto intelligis cet.) „Ex Caesarisne iudicio, quod, nescio quo usu, dicitur maximum?" („Credo ipsius Ciceronis. Orat. pro Lege Manil. c. 15. *de quo tanta et tam praeclara iudicia fecistis.* ibid. c. 16. *Potestis constituere, Quirites, hanc auctoritatem — magnis vestris iudiciis amplificatam.* Phil. I, 15. *iudicia populi Romani vobis parva videbantur.*" Worm.) „an ex Senatus consensu in deprecando? an denique ex hac utraque re, tum alieno iudicio, tum suo? Nihil horum penitus probari potest, modo grammatica ratione, modo sententia repugnante ... Assequi fortasse licebit divinando, quid sibi voluerit Declamator. Nempe *ex eo, quod tantum gloriae sit in accepto beneficio,* intelligi posse ait, *quantum in dato eo sit laudis:* indeque possumus suspicari, quid Auctori fraudem fecerit, pro formula transitionis ponenti *ex quo,* ut simul oblique spectaret remotiora haec, *quum in accepto*" etc. Wolf: Ad quae Weiskius

adnotat (pag. 149.): „Tenendum est, voces conclusivas saepius tantum esse transitivas, iisque tantum copulari sententias, ut intelligas, periodum ab *Ex quo, ergo, quocirca* inchoatam ad antecedentem partem orationis pertinere. Saepius igitur ratio post talia sequitur, cum eam putes antecessisse." Cf. de off. I, 7. *ex quo, quia suum cuiusque fit, eorum, quae natura fuerant communia, quod cuique obtigit, id quisque teneat* cet. „Sicut in hoc loco post *ex quo* sequitur demum ratio a particula *quia,* ita in oratione nostra sequitur a *quum.*"

Quanta in dato beneficio cet.) „Non quaeram, cur in priore membro positum sit *laus,* in posteriore *gloria,* quum inversa haec non minus vera videantur." Wolf. „Dato beneficio potest sane et *laus* tribui et *gloria;* sed non item accepto, cui tantum *gloria* convenit." Weisk. Wormius tamen sic censet: „Ex mente dicentis haec vocabula non debebant ita multum differre. Hoc enim voluit: Si hoc beneficium accepisse, tantam habet *laudem; hanc* multo magis habebit dedisse; quod cum per duo substantiva parallela, ut suavius veniret ad aures, reddere malebat, idem utrobique ponere non potuit."

Est vero fortunatus — praestantior) „Equidem putabam, alia omnia potiori iure laudanda esse in tali homine, quam *fortunam.*" Wolf. Hoc non erat notandum, quando hoc ipso in loco distinctissime dicitur, cur *fortunatus* appelletur: quia de eius salute omnes aeque fere ac de sua ipsorum gaudeant. Similiter Cato de senect. cap. IX. Cn. et P. Scipiones comitatu nobilium iuvenum *fortunatos* praedicat.

„Qui erunt isti *Omnes*, ad quos non minor paene laetitia de clementia Caesaris pervenit? Populum seu plebem Romanam dicas, si notum vocabuli usum spectes: at quum laetandi materiam dederit hic ipse Senatus, in quo habita fingitur Oratio, eo tempore vix cuiquam praeter Senatores laetitia tribui poterat." Wolf. Senatores significari tum isto *pervenerit*, tum aliis pluribus comprobatur e. g. §. 2. *his omnibus ad bene de omni republ. sperandum* cet., et §. 3.: *Intellectum est enim .... paullo ante omnibus* cet.

De illa denique in extremo capite laudatione Marcelli mirabiliter inter se repugnant doctorum virorum iudicia. Nam, cum ex orationis adversariis alii eam ampliorem, alii parciorem, alii omnino Cicerone indignam iudicent; eius patroni contra laudis amplitudinem vel Caesaris magnitudini animi vel oratorum licentiae congruentissimam dicunt; parcitatem ut eximie prudentem laudant ac denique, ne quam relinquant dubitationem, ista recitant Att. III, 12. de oratione negligentius scripta. Ut vero ex his intelligitur, de hoc loco iudicium saltem incertius esse: ita in omni capite percensendo vidimus, maximam, quibus afficiatur, vituperationum partem tam facile refelli, ut non possimus mirari, quod plerique nec ceteris hoc tribuant, ut propter eas adulterinum existiment. At ego id cum Wolfio sine dubio adulterinum Ciceronique abiudicandum esse censeo; probari vero id non tam in singulis, quam in omni eius institutione et compositione puto. Nam primum quidem, si paullo attentius perlegis, vel hinc tibi magna rudis alicuius auctoris

toris suspicio nascitur, quod non istis invidiosissimis: *non timore aliquo, sed partim dolore, partim verecundia* ulla explicatio seu temperatio additur; sed illorum: *Diuturni silentii finem hodiernus dies attulit,* omnium hic levissimorum, ratio ponitur: *Tantam enim mansuetudinem ... tacitus nullo modo praeterire possum.* At homo *summam* Caesaris *mansuetudinem, inauditam clementiam* cet. laudare, quam ad ista quicquam adiicere maluit, propterea quod persuasum habebat, illi nihil esse gratius laude et, si quid in verbis: *non timore* cet. esset acerbitatis, hoc eum prae illius dulcedine minime sensurum; quare exspectes, altero, quod iam sequitur, *enim* illa de Caesaris *mansuetudine* cet. etiam augeri, seu probari, virtutes illas vere esse tantas, quas nemo possit tacitus praeterire; sed falleris: quippe his valere iussis, subito, quam nullus desideres, aliam rationem accipis verborum: *Diuturni silentii ... finem hodiernus dies attulit ... M. enim Marcello vobis, P. C. ... reddito ... meam etiam vocem et auctoritatem vobis restitutam puto.* Quae sequuntur: *Dolebam enim ... distracto,* quamvis intervallo brevissimo tertium *enim* vehementer displiceat, per se quidem ferri possunt; in his autem *Ergo ... aperuisti* nihil habes nisi illorum: *idemque initium, quae vellem ... pristino more dicendi* et propius etiam antecedentium: *M. enim Marcello* cet. ingratam repetitionem, et in verbis: *his omnibus ad bene de omni republ.* cet. conclusionem cui, cum non sit praemissum, unde facta esse possit, claudicantia haec subiunguntur: *Intellectum est enim ... anteferre.*

Non quaerimus, quomodo haec cum capitis V. initio congruant: *Atque hoc C. Caesaris iudicium, P. C., quam late pateat, attendite;* sed in hoc tantum capite nos tenemus, in quo iam ratione mirabili et *Marcellus ea restitutione omnis ante actae aetatis fructum cepisse maximum* dicitur et *Caesari praetereundo nonnihil laudis adspergitur* et *Marcellus denuo praedicatur merito fortunatus, quippe nobilitate, probitate, optimarum artium studio, innocentia et quovis genere laudis omnium praestantissimus.*

Atque hanc rerum confusionem ac perturbationem, hanc omnis dicendi artis imbecillitatem atque inopiam Ciceroni imputabimus, in quo summam suspicimus sententiarum planitatem, facillimam omnium inter se coniunctionem, denique tantam in dicendo dexteritatem, qua maior vix ulla unquam exstitit? imo equidem ista sic ne a rhetore quidem profecta esse puto — sed de hoc iam pluribus agendum.

Etenim nos quidem, ut exposuimus, pro certo habemus, Caesarem eo die, quo haec oratio habita putatur, ad senatum retulisse de insidiis sibi structis, in eoque M. Marcello, de quo L. Piso sententiam ferens commemorasset, deprecante cuncto senatu, veniam dedisse. Quo facto inter alios Cicero de istis insidiis sententiam rogatus, primum de Marcello gratias egit, deinde censuit. Quibus cum viderimus orationem nostram perfecte congruere: luce clarius est, eam ex ipsa re, quae illo die maxima esset, inscribendam fuisse: *de insidiis Caesari paratis* aut *de stipatoribus Caesari concedendis,* aut simili modo; inscriptionem vero pro *M. Mar-*

cello ineptissimam esse neque ei a Cicerone, sed a grammatico inditam. Is enim, cum (famm. IV, 4.) nonnisi Ciceronem eo die Caesari pro M. Marcello restituto gratias egisse legeret, insuper forma orationis deceptus verumque indagare nescius, illam temere gratiarum actionem esse ratus est; idem vero, cum a cap. VII. ad X. de alia re agi intelligeret, his eundem Marcellum a suspicione quadam et querela Caesaris (scilicet de *acerbitate)* defendi opinans, orationem non: *pro M. Marcello restituto;* sed, quo tum primae, tum alteri eius parti satisfaceret, ambigue inscripsit: *pro M. Marcello.* Nec vero id est in nostra quaestione levius habendum, sed gravissimum; quippe quod non modo clarissime, praeter Ciceronem alium quempiam manus ingeniumque in hac oratione exercuisse doceat; sed etiam, quid fere huic debeamus, haud obscure significet. Nimirum iste, si restitutionem Marcelli eo die maximum fuisse arbitrabatur: necessario et orationis eam partem, qua de hac gratiae agerentur, alteri, qua idem Marcellus a Caesaris suspicione quadam defendi videretur, et gravitate praestare debere censuit et longitudine. Atque hinc profectum est, puto, ut orationem non ita constitutam et ceteris Tullianis fortasse paullo negligentius scriptam sui exercendi causa expleturus omnemque, si posset, melius informaturus non modo caput I exordium atque XI epilogum ei adiiceret; sed etiam plura, quae in ipsa legit, industria nobis iam ingratissima, aliter enuntiaret. Nec vero in hoc eum id egisse dico, ut, sua cum Tullianis artificiose contexens, unum inde opus efficeret; sed in eo sese, ut videtur,

continuit, ut quae ipsi placuissent, atque ea saepe adumbrata potius quam elaborata, illis intactis adscriberet. In quo genere exercitationis quod facile accidit, ut eandem rem videamus pluribus exprimi posse rationibus, quas, cum consilium nostrum permittat, omnes literis consignemus: hoc et grammatico nostro cum alibi saepius tum maxime hoc in capite accidisse perhibeo. Nam manifesto eius initium triplex est, et quidem primum: *Diuturni silentii . . . finem hodiernus dies attulit* cet. *Tantam enim mansuetudinem . . . possum;* alterum: *Diut. sil. . . . fin. hod. d. att.* cet. *M. enim Marcello . . . puto;* tertium: *Diut. sil. . . . fin. hod. d. att.* cet. *Dolebam enim . . . distracto.* (Atque sic etiam *dolorem* istum explicatum habes verbis: *Dolebam enim* cet. et: *verecundiam* istis: *nec mihi persuadere poteram,* quod auctor, ut nobis videtur, amplificavit sequentibus: *nec fas esse ducebam* cet.) Haec vero: *Dolebam enim* cet. dicas grammatico praecipue placuisse, cum iis maxime accomodata sint, quae sequuntur: *Ergo et mihi . . . anteferre;* in quibus inter alia Caesaris illa de Marcello *suspicio* commemoratur, opinioni rhetoris videlicet congruentior, quam historiae et veritati. Nunc autem fictus noster Cicero, ubi vel suum vel ceterorum senatorum e restitutione Marcelli gaudium et fructum depinxit, de hoc etiam ipso viro commemorandum censuit, quod idem bifariam fecit, in his: *Ille quidem* cet. Caesari nonnihil laudis impertiens, in illis autem: *Est vero fortunatus ille* cet. Marcellum extollens.

Nescio, quid viri docti de his iudicaturi

sint; nec tamen de eorum approbatione despero. Nam nunc quidem, ut vidimus, singula in hoc capite tam male cohaerent, ut propemodum omnes eius interpretes sagaciores id prorsus tale a Cicerone profectum esse denegarint; sed multa in eo vel corrigenda, vel eiicienda, vel adeo aliter ordinanda censuerint; (cf. Weisk. ad: *Ille quidem;* Worm. ad: *Ex quo ... fuerit iratior;* Patricium pluribus locis et doctorum virorum iudicia in ephem. lit., quas mihi nunc non licet inspicere.) quod, cum audacia nostram de hoc capite sententiam aut aequiparat aut superat, difficultates atque ineptias in eo multo minus ac minime expedit. Nec vero quisquam haerebit in eo, quod haec orationis corruptio seu deformatio omnino parum verisimilis esse videatur. Nam de hoc, ne alia laudem, illa nos plenissime docent Marklandi IV oratt. Cic. ed. Wolf. pag. LIV. LVI. LVII. LXIV. et verba Gesneri ibid. pag. LXXXIX. de orat. Sallustii in Ciceronem et Wolfius in orat. pro Marcello p. XXII — XXV.

Ad caput II progrederer, nisi antea exponendum putarem de eo, quod aptius videri possit, totam hanc orationem ad grammatici nescio cuius exercitationem referre. Verum, praeterquam quod ex omnibus hactenus recensis apparuit, eam maximam quidem partem esse posse Tullianam: num credibile est, merum tironis in eloquentia exercitium, nulli, ut ita dicam, stamini Tulliano intextum neque omnino factum ad homines fallendos, num, inquam, credibile est, hoc cuiquam videri potuisse grammatico abiudicandum, Ciceronisque nomine ornandum? Sed praeterea in nostra oratione tanta est

singulorum inter se dissimilitudo et discrepantia, tamque alia fortia, elegantia, pulchra: alia frigida, puerilia, inepta sunt, ut prorsus cogamur, duos eius fuisse auctores, credere: quo accedit, quod haec mala ab bonis illis facillime sic dissolvuntur et removentur, ut oratiuncula restet brevis quidem (fere ut Philippica IV aut VI); sed omnibus partibus bene cohaerens, concinna, denique Cicerone minime indigna. Nec vero haec sola sunt in hoc argumenta; sed aliud, iis etiam gravius, positum est in omni, quae grammaticum aliosque plurimos fefellit, omnes summopere vexavit, orationis nostrae *natura* et *institutione*. Nam primum, cum in rebus fictis, ut soliditas quaedam et species veri exsistat, homines, de quibus agamus, tempora, res omnes accuratissime describere soleamus ac designare: in hac oratione, quatenus integra videtur, rerum omnium (v. g. ipsius relationis illius et querelae Caesaris, temporis et modi, quo factae videantur insidiae, ipsius insidiatoris, quem declamator haud dubie certum aliquem fecisset, denique rerum omnium) significatio tam levis est, quam esse nonnisi in oratione potuit habita in hominibus, qui, de quo sermo esset, ipsi oculis auribusque percepissent. Deinde vero duae, ex quibus oratio consistit, partes et natura tam diversae sunt, (cf. Weisk. pag. 51.) ut in re ficta non intelligas, quo modo convenerint, et earum coniunctio tam nihil artis habet, ut nequeas dubitare, quin ipsam rerum sic gestarum consequentiam exprimat.

CAP. II.

§. 4. Nunc venimus ad secundum caput orationis, cum primo neque ulla particula, nec sententiarum natura iunctum, nec fere dicendi generis similitudine cognatum. Nihil enim in eo longum sapit meditatumque exordium; sed, quod illi diei aptissimum videtur, statim, neque id P. C., sed Caesarem appellando, ad ipsas gratias agendas acceditur, dicendi genere forti, gravi, quodque animo rebus plurimis commoto imprimis congruat. (cf. ad haec Catil. I. et Philipp. V. initium.) Aliter tamen de his Wolfio visum est, sicut omnem orationem, haec etiam adulterina iudicanti. Sic enim scribit ad: *Nullius tantum* cet. „*flumen ingenii* h. l. dictum est eodem modo, quo in Orat. post Red. in Sen. c. I. *ubertas ingenii:* neutrum exemplo Ciceronis, qui *ubertatem* et *flumen* dicere solet non *ingenii*, verum *orationis* vel *verborum*." Ad quae Weiskius dicit: „si neque *flumen* neque *ubertas ingenii* dictum est Ciceronis exemplo, haec ipsa res probabile facit, illa non esse declamatoris verbis Tullii suas nugas ornantis" et Wormius: „solenne est, *venam* cum epithetis, *dives*, *foecunda*, *benigna*, de *ingenio* dici. Curni et *flumen* de eodem, cum eadem utrobique sit ratio comparationis, nempe liberrima et nusquam adhaerescens affluentia, dicere licebit? Licere certe Ovidius putabat cum scriberet, Fast. I, 24:

> Scimus et ad nostras, cum se tulit impetus artes,
> *Ingenii* currant *flumina* quanta tui.

Est ex eodem genere Iuvenalis: exundans

ingenii fons Sat. X, 121." Qui scriptores si plurimum a Tulliano scribendi genere distant: tamen, quae iis fuisse usitata vides, non poteris apud Ciceronem absurda iudicare, praesertim si ipse similia habet, ut *fluminis ingenii* illa de Orat. III, 36. *repente te quasi quidam aestus ingenii tui procul a terra abripuit.*

Tamen affirmo et hoc pace cet.) „Ineptum est, quod pacem praefatur apud Caesarem. Nam qui huius viri ingenium et sapientiam novit, eum opinabitur non indignatione sed leni risu excepturum fuisse ea, quae statim ex Stoicorum disputationibus de laude hodierni diei exaggerantur." Wolf. Quomodo nobis Caesar haec excepturus fuisse, vel excepisse videatur, supra exposuimus. Quod autem orator hic pacem praefatur, non intolerabiliter ineptum habeo; cum omnes fere populi cultiores formulis quibusdam utantur, quibus, per se licet saepe ridiculis, sed usu confirmatis vel umbra offensionis e sermone auferatur. Cf. Cic. in talibus haud parcum de or. I, 17. 57. cet.

In his: *ampliorem, quam eam, quam* cet. scabritiem nequaquam eam habeo, quae a Cicerone penitus abhorreat; quapropter neque in ea, neque in similibus, si qua posthac erunt, immorabor.

§. 5. *Soleo saepe — idque libenter* etc.) „In principio deest dativus alicuius pronominis; unde male ambiguum fit, sibine rem an aliis hominibus ante oculos ponere soleat. Dicitur quidem satis Latine, *pone* seu *ponite ante oculos,* sine *tibi* aut *vobis,* ut pro Deiot. c. 7. Philipp. II, 45., ubi nihil aliud subaudiri posse apparet." Wolf. „*Soleo* ...

ponere, scil. non *aliorum*, sed *meos*, quod pronomen, ut constat, minus eleganter additur, ubi non oppositio aut emphasis quaedam id poscit. Indicat sequens *idemque* (sic scribo pro *idque*) *libenter cr. usurp. sermonibus*. Prius nempe, τὸ *ponere ante oculos* pertinet ad ipsum Ciceronem; posterius ad alios, i. e. ut et alii ex ipsius crebris sermonibus idem sibi ante oculos ponere consuescant." Weisk.

§. 6. *Quae quidem — fatear — maiora.*) „Cicero dicturus erat, ni fallor; *Quae nisi quis — fateatur — amens sit*: nimirum displicet oratio ad primam personam retracta. Neque accommodatum est ad sententiam, quod deinde legimus, *Quidam solent*. Quis enim ignorat, *Quosdam* esse insipientes, permultaque *solere* et dicere et facere inconsiderate, quae nemo curet prudens existimator?" Wolf. „primam personam, adiecto etiam pronomine *ego*, auctor propterea videtur adhibuisse, ut eo magis ipsa verbi forma appareret, ipsum bellica Caesaris facta vehementer admirari, et ut Caesar eo minus deinceps extenuanda eorum laude offenderetur." Weisk. — *Quidam* recte habet. Etenim non vult statim ab initio ipse bellicam Caesaris gloriam imminuere; sed prius, quid alii de ea iudicent, refert ac tunc id ex parte quidem verum esse concedit. Verba autem: *detrahere ducibus* insitiva iudico, utpote illis sequentibus: *communicare cum multis, ne propriae sint imperatorum*, aut male superflua aut nimia; nam vere illi *quidam* non laudes bellicas omnes detrahunt ducibus; sed eas tantum communicant cum multis. Ista: *In armis* non, ut Weiskius, de

proeliis tantum intelligo; sed universe: *in bellis gerendis* interpretor.

§. 7. Deinde Wolfius in verbis: *Nihil sibi ex ... decerpit;* declamatorium colorem et frigus notat: rectissime. Nam cum homo sedulus aut ap. Caes. B. C. III, 53. aut ap. Suet. Caes. LXVIII *unius* VI legionis *cohortis* et *Cassii Scaevae centurionis* fortiter facta legisset: inepte hic eorum mentionem faciendam esse duxit atque sic, quam haud dubie nullus sensit, misere perturbavit climacem illam: *huius gloriae ... socium habes neminem: — totum hoc ... quod certe maximum est, totum est, inquam tuum; — quin etiam illa ipsa rerum humanarum domina, Fortuna, in istius se societatem gloriae non offert.*

„Pronomen ineptum *se* e proximis litteris temere ortum, miror quomodo Graevio placere potuerit. Clare opponuntur *se in societ. gl. offert, et tuam esse t. et pr. fatetur.*" Weisk.

Nunquam enim ... admittitur) „nimis futilia sunt, nec ferenda in Cicerone, paucis ante annis imperatore. Quidni enim saepe *casus admittatur ad consilium?* Nemo id ex omnibus Senatoribus pulchrius norat Caesare, qui ipse scripserat B. Gall. VI, 30. „*Multum, quum in omnibus rebus, tum in re militari potest fortuna: nam, sicut magno accidit casu, ut in ipsum — sic magnae fuit fortunae* etc. et cap. 33.: „*Hic, quantum in bello fortuna possit, et quantos afferat casus, cognosci potest.*" et B. Civ. III, 68.: *Fortuna, quae plurimum potest, quum in reliquis rebus, tum praecipue in bello, parvis momentis magnas re-*

rum commutationes efficit." Ac sane, si numquam illis in rebus casus et fortuna cum sapientia commiscetur, in rebus autem bellicis pleraque sibi vindicat fortuna: pro insipientibus Fortunae filiis habendi erunt omnes, quotquot umquam fuerunt, clari imperatores." Wolf. Locus, qui nec defensus est a viris doctis, nec defendi potest, pluribus laborat vitiis. Nam primum incommode sane, cur *Fortuna* se non offerat in istius gloriae societatem, haec causa ponitur, quod *temeritas nunquam commisceatur cum sapientia;* nec vero in proxime antecedentibus sermo est de Caesaris in Marcello restituendo *sapientia;* sed dicitur, cum rerum bellicarum gloria, militum et maxime Fortunae auxilio parta, cum multis communicanda sit, clementiae illius laudem uni Caesari esse tribuendam. Sed deinde, quo sententia expressa est, modus manifesto balbutiente puero dignior est, quam Cicerone. Videlicet egregius noster artifex, comprobaturus, *Fortunam* in istius gloriae societatem se non offerre, hoc utitur argumento, novo profecto et mirabili: *nunquam enim temeritati* (i. e. *Fortunae*) locus est in *sapienter* factis; quod prorsus idem in sequentibus denuo repetit: neque ad res *consilio* (i. e. *sapienter*) factas admittitur *casus* (i. e. *Fortuna* seu *temeritas.*) cf. famm. VII, 28. extr.: *sapienter haec reliquisti, si consilio; feliciter, si casu.* et de div. II, 41.: *quibus in rebus temeritas et casus, non ratio et consilium valet.* Denique vero imprimis pollet Wolfii loci reprehensio *de insipientibus Fortunae filiis,* quem cum Cicero Caesarem nec posset appellare, nec vellet: locus sine controversia non Cice-

roni, sed grammatico est addicendus. Ac, si viri docti haec non improbabunt, velim de aliis etiam quibusdam in hoc capite me benigne audiant. Nempe sententia, a qua exorditur: laudem, quam Caesar Marcello restituendo sibi effecerit, esse maiorem omnibus eius bellicis laudibus, tam nova est tamque a communi opinione aberrans, ut maxime aliqua explicatione et confirmatione indigeat. Num vero haec datur illis: *Soleo saepe* cet.? imo his usque ad: *amens sim*, nihil nisi verba: *Nullius tantum* ... *possit* aliter exprimuntur, sic tamen, ut in his res Caesaris gestae simpliciter omni enarratione maiores praedicentur; in istis earum cum ceterorum omnium imperatorum et populorum rebus gestis comparatione, quam magnae sint, ostendatur. Ista vero: *tamen affirmo* ... *consecutus es*, in his redeunt: *sed tamen sunt alia maiora.* Atque hoc quidem quando est tam clarum, ut nemo id non oculis videat, tantum restat nobis, ut exploremus, quae ipsa Ciceronis, quaeque grammatici esse videantur. In quo, ne in molesta et incerta singulorum probatione nos torqueamus, si perpendimus, quod in his rebus tironum proprium esse solet, ut simplicia contemnant; splendidis vero artificioseque ac tumide exaggeratis summopere studeant: equidem verba: *soleo saepe* ... *maiora* grammatico atque illa: *Nullius tantum* Ciceroni reddenda iudicem. Quo facto optime inter se cohaerent, quae reliqua habemus: *Nullius tantum* ... *consecutus es. Nam bellicas laudes* cet.

CAP. III.

§. 8. Initium tertii capitis: *Domuisti ... iudico*, a multis ut eximie pulchrum laudatum est; nec tamen hinc genuinum esse consequitur. Namque ipsa haec pulchritudo, antithetis praecipue et copia quadam dicendi effecta, ut ab omnibus facillime sentitur, sic ab iis, qui scripta Ciceronis frequenter studioseque perlecta habent, imitatione haud difficulter exprimitur. (cf. Wolf. pag. XXIII.) Quo accedit, quod nequaquam omnes illam nostro in loco pulchritudinem agnoscunt; quin etiam Weiskius, studiosissimus orationis defensor, tum pro *immanitate barbaras* legere mallet *barbarie immanes* tum, verbis: *omni cop. g. abundantes* offensus, inter *infinitas* et *omni* lacunam esse suspicatur; ut non sit mirandum, quod Wolfius ad verba: *ea vicisti* cet. haec scribat: „Ante hoc tempus ea vicerat Caesar, quae ab homine possent vinci: at hodie semet ipsum vicit, animum vicit — Quid? num animus humanus eam habet naturam, ut vinci nequeat? Cur ergo philosophi et poetae nos iubent *animum vincere, mentem compescere, frenis regere atque catena?* .. Sensit hoc ex parte Orator; nec tantis auctoribus se opponere ausus, postremis verbis imperfectam relinquit antithesin vel eius vim obscurat, quum hominem, animi sui victorem, *simillimum deo* appellat. Ita, opinor, scribunt, qui nondum sapere didicerunt, et perplexos sensus suos speciosis verbis exprimere." Nec vero id solum in his vitium est; sed gravius etiam, *amplificatam Marcelli dignitatem* iam supra coarguimus. Quae quidem, cum sufficiant ad locum Cice-

roni abiudicandum: de ortu eius sic persuasum habeo. Cum Cicero ista: *tamen affirmo ... consecutus es,* ita comprobasset, ut gloriam bellicam cum multis communicandam; illam e clementia unius esse Caesaris affirmaret: grammaticus in his, quae nulla ratione cum antecedentibus connexa, tumore tamen et omni sono istis: *Soleo saepe* cet. simillima sunt, eandem fere sententiam conatus est aliter enuntiare; nimirum *res bellicas viribus posse humanis geri; qui clementer et mansuete agat, eum proxime ad ipsos deos accedere.* Post quae talia probarentur: *Itaque de illis te maxime semper admirabimur quidem; clementiam vero tuam inauditam et magnitudinem animi suspicientes te summa, qua ipsos deos colimus, veneratione prosequemur.* Verum de his nihil est nostro in loco; sed haec sequuntur: *Itaque, C. Caesar, bellicae tuae laudes celebrabuntur illac quidem — sed tamen eiusmodi res, etiam cum leguntur, obstrepi clamore militum videntur et tubarum sono.... Te vero, quibus laudibus efferemus? quibus studiis prosequemur? qua benevolentia complectemur?* Quid ergo? propterea quod laudes bellicae viribus humanis efficiuntur, idcirco etiam cum leguntur, obstrepi clamore militum videntur et tubarum sono? neque aptius *deo simillimo,* cui adoratio debeatur, benevolentia, laudes et studia promittuntur; quas ineptias omnes tollimus, si, verbis: *Domuisti — deo iudico* deletis, haec: *Itaque* cet. illis adiungimus: *propriam fatetur.* Nam tunc ista: *Itaque* cet. optimam conclusionem continent ex illis: *res tuae gestae maximae quidem sunt; sed militum, Fortunae, deni-*

que multorum auxilio gestae; et in his: *at vero cum aliquid clementer* cet., quando ad *gloriam illam unius Caesaris* vix quicquam addi potuit: aptissime modus, quo res bellicae accipi soleant, ei, quo clementer cet. facta accipiamus, modo sic confertur, ut inde facillimus sit accessus ad laudes Caesari de restituto Marcello summas et amplissimas impertiendas.

Iam vero postquam illa: *domuisti ... iudico* e ratione *historica* falsa, e *rhetorica* inepta esse demonstravimus, cumque pateat, ea nec cum antecedentibus, nec cum sequentibus ullo modo cohaerere: non debebimus, puto, in singulis commorari, utpote ab orationis adversariis ita reprehensis, ut ab eius patronis maximam quidem partem facile defendantur; quapropter iis missis nunc quaeramus de ceteris, quae in hoc capite Tulliana iudicamus.

§. 9. *Sed tamen — obstrepi — diligamus)* „Unus inter Oxonn. lectionem exhibet, quam fortasse optet quispiam, *obstrepit clamor militum et tubarum soni,* si modo cum Patricio corrigatur *rebus.* Et videtur alium quoque librarium pupugisse ista poetarum et labentis Latinitatis structura verbi *obstrepere,* ut plane hunc infinitivum activum poneret. Conf. Valer. Max. VIII, 15, 8. et Tacit. Hist. II, 44." Wolf. „Sed fac istam structuram verbi *obstrepere* non usitatam fuisse Ciceronis aetate: oratori tamen licebat in oratione sublimiore forma uti insolentiore. Omnino autem quid sit labentis Latinitatis, e monumentis tam exiguis, quae nobis reliquit temporum iniquitas, iudicare" (tam certo) „non possumus. ... In tam simplici autem verbo

nihil inest poeticum, ut non minus usurpari potuerit a prosae orationis scriptoribus." Weisk. Quibus adde Cic. de opt. IV. *Cum aut non adhibeantur ad causas, aut adhibiti derideantur: nam si ar… eantur, esset id ipsum Atticorum.* et de Senect. XVIII. *Haec enim ipsa sunt honorabilia, quae videntur levia atque communia: salutari, appeti, decedi, assurgi.* cf. Perizon. ad Sanct. Minerv. III, 2, 3. Iac. Fr. Heusingerum ad de off. II, 4. et quae supra scripsimus ad *flumen ingenii.* II. 4.

„Annon et in bellicis rebus cognoscendis maximo *incendimur studio?*" Wolf. Incendimur quidem, sed alio; hic quale significetur, sequentia declarant: *ut eos saepe, quos nunquam vidimus, diligamus.*

At vero cum aliquid clementer cet.) „Imperator nullam occasionem habet *clementer, mansuete, iuste, moderate agendi?* ut plane mittamus misere debilem vocem *sapienter.*" Wolf. Non opus est ad haec multis, siquidem hoc ipso in loco in Caesare *imperatore* laudes e rebus bellicis comparantur cum laudibus e *mansuete* cet. factis. De voce *sapienter* cf. Weisk. ad I. 1. *incredibilem sapientiam.*

„Num vero *bellicae laudes* modo iis rebus continentur, quae a ducibus in acie et ardore proelii fiunt?" Wolf. „qui de *bellicis* Caesaris *laudibus* fando audivit, is credere nullo modo potest, sub illarum nomine eius *mansuetudinem* fama celebrari ... qui verbum ipsum *belli* audit, quid sub *virtutibus bellicis* intelligit? haud dubie acies bene instructas, concursus, proelia, victorias cogi- [illegible] celeritatem significari putat, calliditatem,

for-

fortitudinem et si qua sunt alia huius generis; nequaquam vero clementiam et moderationem." Weisk.

Verba: *in iracundia praesertim ... superba est* insitiva iudico. Nam cum ipsum vocabulum *clementiae* et, hic certe, synonyma *mansuetudinis*, *moderationis* cet. nos plane cogant de *iracundia* cogitare et de *victoria*: vix potest dubitari, quin et haec nostro grammatico debeamus.

„In clausula, quae sequitur, *Ut eos* cet. Auctor fecit imprudenter, quod omisit *quodammodo*. Cicero certe non sine causa id verbum addiderat in loco, quem nostri fontem fuisse nemo non concedet, de Amicit. c. 8. „Nihil est enim amabilius virtute: nihil, quod magis alliciat *ad diligendum*; quippe quum propter virtutem et probitatem *eos etiam*, *quos numquam vidimus*, *quodammodo diligamus*." Hic imitator addidit *saepe*, omisit *quodammodo*, de quo haec bene monuit interpres, Minos: „Multo maiore studio complectimur eos, quos vere videmus, quam eos, qui numquam fuerunt, aut qui absentes laudantur. Neque adeo praetermittendum illud, *quodammodo diligamus*. Quos enim numquam vidimus, non diligimus, si stricte et proprie vim verbi accipiamus" cet. Quae Minois sententia permultis refutatur, e. g. illis (de fin. V, 22.): *Quis Pullum Numitorem, Fregellanum, proditorem, quanquam reip. nostrae profuit, non odit? quis urbis conservatorem, Codrum, quis Erechthei filias non maxime laudat? cui Tibuli nomen odio non est? quis Aristidem mortuum non diligit?* de amic. VIII.: *Quis est, qui Tarquinium Superbum, qui Sp. Cassium, Sp. Mae-*

lium non oderit? ... alterum (Hannibalem) ... *semper haec civitas oderit.* cet. Ceterum vero de his audiatur Spaldingius (pag. 21.): „Fateor, nihil magnopere obstare, quo minus ex oratione sua hoc, quod placeret, Cicero in disputationem philosophicam contulerit, inter eumque ipsum imitandi laborem correxerit, quae calidius fortasse oratorio impetu abreptus primo pronunciasset. Tunc igitur *quodammodo* illud addiderit, quod posceret sobrietas philosophi, ne homines incognitos et diu ante mortuos sine ulla molliendi formula *diligere* diceremur." quibus cf. sententias similiter expressas in famm. V, 13.: *Transferam animum ad ea, quibus secundae res ornantur, adversae adiuvantur* cet. et orat. pro Arch. VII.: *Haec studia ... secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium praebent* cet. famm. VI, 10.: *Si auctoritate et gratia tantum possem, quantum in ea republ., de qua ita meritus sum, posse deberem, tu quoque is esses, qui fuisti.* et 13.: *Si tantum possem, quantum in ea republ., de qua ita sum meritus, ut tu existimas, posse debebam, ne tu quidem in istis incommodis esses.* famm. VII, 24. et Att. XIII, 49. cet.

§. 10. In his: *cuius mentem ... cernimus* et ego sine dubio pro *et os* legendum censeo *eos;* non, quia, ut Weiskius, „abhorrere putem a ratione vitae communis et urbanitatis, in magno hominum coetu praesentis alicuius *os* et vultum commemorari": (legimus enim et Deiot. c. II.: *in tuis oculis, in tuo ore, vultuque acquiesco* cet.); sed tum, quia sic facillime durum istud: *os cernimus, ut — velis,* e constructione tollitur,

tum, quia *os* hic omnino intolerabiliter inepte habet. Nam quod Spaldingius dicit: „Refert hoc loco corpus magis quam animum cerni, cum illorum absentium hominum, nec unquam visorum, sensus quidem et ipsi potuerint conspici, nec sine diserte addita mentione *oris* et *faciei* insit manifesta oppositio et gradatio ab eo, quod fiat magnis illis viris, e libris modo cognitis, ad id, quod Caesari praesenti cet.": equidem oppositionis legibus satisfieri puto verbis: *quos nunquam vidimus* cet. et: *Te vero, quem praesentem intuemur* cet.; in vocabulo *ore* autem non video gradationem, cum neque homines clementes eo magis amemus, quo eorum oculos, ora, alias nescio quas partes corporis certius dignoscamus, neque *os* hic absolute, sed tanquam illorum: *ut, quicquid — velis* fulcrum positum sit. Verum, his missis, cui non displiceat ista *mentis* Caesaris, *sensuum et oris* coniunctio, in qua primum interna, ipsa *mens* et *sensus*, dicantur *cerni*; tunc vero, mala sane gradatione! externum, *os* ponatur, ex quo eadem fere, iam certa, incerta conclusione etiam colligantur, videlicet *mens* Caesaris et *voluntas!* Si vero legimus *eos:* nihil in loco est, quod improbetur, cum sensum eius hunc efficiamus: Clementia, mansuetudo, ceterae eiusmodi virtutes tam nobis gratae sunt, ut etiam in narrationibus fictisque fabulis mirando nos impleant amore sui. At vero in hac restitutione Marcelli has virtutes non fictas audiendo accepimus; sed exercitas oculis vidimus, (*Te vero, quem praes.* cet.) easque *ita* exercitas, (*cuius mentem sensusque eos* cet.), ut etiam de futuro nobis spes iucundissima facta sit. Quare,

cum clementia nos omnino tantopere delectet, hanc *quibus laudibus* cet. Nec vero istis multum tribuo: „nullis adhuc vel rationibus vel exemplis concilior eí orationi, ubi *mens* et *sensus cernuntur*" cet. Nam etsi vere non ipsam hominum *mentem* atque ipsos *sensus* videmus: attamen facta videmus indeque de illis iudicia facimus; quae ipsa propria vis est verbi *cernere*, nempe ut sit videre cum iniuncta actione iudicandi. Cf., quam et Worm. laudavit, Perizon. respons. ad Ludol. Kusteri diatrib. de verbo *Cernere* in Sanct. Minerv. et Terent. Andr. I, 1. *Tum illa, ut consuetum facile amorem cerneres, reiecit se in eum flens, quam familiariter* et Cic. Top. I.: *Verecunde tu quidem, ut omnia, sed tamen, ut facile cernerem te ardere studio, mecum egisti.* partit. XXIII. de off. I, 19, 20 cet. Quam verbi *cernere* vim etiam nostro in loco facillime cognoscas: *Te vero ... qui in restituendo Marcello sic egisti, ut mentem tuam sensusque eos cerneremus* cet.

Parietes — gratias agere gestiunt) „Impense mirarer, si, detracto Ciceronis nomine, elegantiori iudici placeret *paries gratias agere gestiens.* Non, quod omnino supra prosam dictionem assurgant muta et sensu carentia, tali poetico colore inducta; sed quia non illa *quidlibet audendi* potestas scriptoribus omnis ordinis conceditur, idque genus figurarum multas et proprias habet cautiones. Obiiciunt quidem Viri docti Plinium Panegyr. c. 50. assiduum, ut videri voluit, Ciceronis aemulatorem, apud quem *tecta Urbis sentire ac laetari videntur, quod niteant, quod frequententur* ... Verum ta-

lium locorum vel maximus numerus non docet, ita loquutum esse Ciceronem, neque efficit, ut illud servato virilis eloquentiae pudore dictum videatur. Nam, ut verbo complectar omnia, aliud est, inanimatis sensum hominis tribuere; aliud, adiicere linguae et orationis usum, et quaecumque homines facimus in sensis animi exprimendis. Ita enim ratio est comparata, ut, si hoc in genere unum gradum addideris, saepe id, quod antea sublime erat, insulsum et ioculare fiat... Igitur negabo et pernegabo, istam imaginem non modo Ciceronianam esse, sed talem, tam audacem, ne apud ullum quidem scriptorem ex illo antiquiorum et classicorum ordine reperiri." cet. Wolf. Relinquo haec viris doctis iudicanda meque contineo in eo, ut meam de loco sententiam feram, nimirum hic etiam non, quid nos bonum ac probabile ducamus, sed quid Romanis et quidem Ciceronis aevo probatum fuerit, esse considerandum. Atqui apud auct. ad Herenn. IV, 53. haec legimus: *Conformatio est, cum ... res muta aut informis fit eloquens et formata et ei oratio attribuitur ad dignitatem accommodata aut actio quaedam* cet. et apud Cic. Or. XL: *Sic igitur dicet ille, quem expetimus ... ut muta quaedam loquentia inducat.* Ad quae vix apparet, quid viros doctos nostro in loco tantopere offendat, in quo nonnisi legamus: *parietes, ut mihi videtur, gratias,* non *agunt;* sed *agere gestiunt.* Quae tum a summa ista licentia (qua mutis non simpliciter *actio* et *oratio,* sed *oratio* tribuebatur *ad dignitatem accommodata,*) nonnihil absunt, tum vel maxime defenduntur exemplis com-

pluribus, in quibus res *mutae* atque *inanimae* inducuntur *consciae, rerum atrocitate commotae, faventes, lugentes, homines,* si qui accedant, *affantes et appetentes,* quin etiam ad *complectendos eos procedentes.* pro Coel. XXIV.: *Ista mulier ... nonne ipsam domum metuet, ne quam vocem eliciat? non parietes conscios?* In Verr. V, 67.: *Si in aliqua desertissima solitudine, ad saxa et ad scopulos haec conqueri et deplorare vellem; tamen omnia muta atque inanima tanta et tam indigna rerum atrocitate commoverentur.* pro Planc. VIII.: *Quid ego de me, de fratre meo loquar? quorum honoribus agri prope dicam ipsi montesque faverunt.* pro Sext. XXIV: *cum meum illum casum ... non solum homines, sed tecta urbis ac templa lugerent.* Phill. II, 13: *qui locus est aut tam desertus aut tam inhumanus, qui illos, quo accesserint, non affari atque appetere videatur?* In Pis. c. XXII: *Cum senatum egressum vidi populumque Rom. universum; cum mihi ipsa Roma, prope convulsa sedibus suis, ad complectendum conservatorem suum procedere visa est; quae me ita accepit, ut non modo omnium generum cet. omnes viri cet. sed etiam moenia ipsa viderentur et tecta urbis ac templa laetari.* Sin viri docti haec audacia quidem et audacissima esse dicunt; sed tamen inter ea et nostrum locum interesse quandam, quae sentiri potius, quam exprimi verbis possit, differentiam (Spald. pag. 27. sqq.): ego, in locis saltem ex orat. pro Sext., Phill. II. et in Pisonem, nec video istam differentiam, et omnino figu-

ram ex animo vehementius commoto exortam maxime ex ipsius, in qua est, orationis vehementia et altitudine aestimandam esse censeo; de quibus qui, quae supra disputavimus, attente relegerit, haud dubie nobiscum verba: *parietes medius* cet. bona Ciceroneque haud indigna iudicabit. Cf. praeterea doctissimas de hac figura disputationes Wormii et Weiskii.

Quod brevi tempore — suis sedibus) „Non liquet, quam sententiolam h. l. disperdiderit praeclarus artifex: utrum intelligi voluerit *illam auctoritatem clarissimi viri*, scil. *Marcelli*, an *pristinam auctoritatem Curiae sive Senatorum populi Romani*. Posterior quidem ratio digniorem gratias agendi materiam daret parietibus, nec in proxime prioribus verbis ulla facta est Marcelli mentio: at sic nimis contorta fieret relatio *τῶν suorum* et *suis* ad Senatores pro Ciceronis candidissimo genere scribendi. In priore autem ratione facilius illa pronomina referrentur ad hominem eum, qui semel scriptoris mentem occupavit, quamvis ita etiam aliqua balbutie offenderet illa *auctoritas futura in his sedibus*, i. e. *reditura in Curiam*." cet. Wolf. Post haec autem V. cl. varias doctorum virorum de hoc loco sententias laudat hoc modo, ut parum eluceat, quaenam ipsi maxime placuerit; quare, cum nec patroni orationis de eo satis compertum habuisse videantur, nos iam breviter nostram de eo sententiam dicemus. Nempe: cum Marcello, hosti tuo acerbissimo, ignoveris, maximam nobis spem dedisti, eadem te in omnes Pompeianos usurum esse clementia *(cuius mentem sensusque eos cernimus, ut, quic-*

quid belli fortuna reliquum reip. fecerit, id esse salvum velis); atque idcirco non modo nos te summis laudibus summisque studiis prosequemur; verum ipsi adeo *parietes huius curiae, ut mihi videtur, tibi gratias agere gestiunt, quod brevi tempore,* (non enim tu voles bonos viros diu habere sollicitos!) quod igitur *brevi tempore illa auctoritas* i. e. illi senatores adhuc exulantes *futuri sint in his maiorum suorum et suis sedibus.* Ad: *illa auctoritas* pro: illi senatores, cum significatione quadam, ut mihi videtur, auctoritatis et maiestatis senatoriae cf. orat. pro Lig. c. XI. *Videsne igitur hunc splendorem, omnem hanc Brocchorum domum ... hosce omnes equites, qui adsunt* cet.

CAP. IV.

Reliquum est quartum caput orationis, ut mihi persuasum est, totum ex industria grammatici nostri ingratissima exortum. Nam, ne id commemorem, quod minime cum antecedentibus cohaeret: sed post ingeniosam laudum bellicarum cum iis, quae mansuete factis procreentur, comparationem summamque et elegantissimam Caesaris laudationem, denique eam orationis altitudinem, ut ipsi parietes curiae inducantur gratias agere gestientes, post haec, inquam, quis non ineptum iudicet, quod subito bonus noster, qui haberi vult, Cicero narrat, se *quidem,* in C. Marcelli lacrimis de omnibus Marcellis cogitasse? Nec magis haec probo: *quibus tu ... reddidisti;* siquidem a Cicerone alienum puto dicere: nisi M. Marcellus, nimirum prop-

ter patriae libertatem fortius defensam et summa cum dignitate (cf. Brut. c. LXXI. et Senec. cons. ad Helv. c. IX.) exulans, restitutus esset: eius *maiorum* etiam *omnium* dignitatem futuram fuisse diminutam. In verbis: *nobilissimamque ... vindicasti* non intelligis, quomodo M. Marcello restituto familia Marcellorum dici potuerit paene *ab interitu vindicata esse*, quando ad eius interitum nihil plane referebat, ille Mytilenis an Romae viveret. Sed, quo longius progrederis legendo, eo magis admiraris grammaticum, qui iam, propterea quod Caesar eo die venia Marcello data vel mortuis eius maioribus dignitatem reddiderit, non patet, qua re ademtam, nobilissimamque familiam, non eam quidem omnino, sed tamen *paene* ab interitu, non patet quo, vindicaverit: propter has ergo causas affirmat Caesarem *hunc diem esse maximis suis et innumerabilibus gratulationibus iure antepositurum.* Atque haec affirmatio non ita comprobatur, quemadmodum fere putes fuisse comprobandam: gloriosius multo esse, in unum civem se clementem praestare, quam hostium centum millia devincere; verum sic comprobatur: *Haec enim res unius est propria C. Caesaris: ceterae duce te gestae, magnae illae quidem, sed tamen multo maximoque comitatu.* At haec iam legimus in capite secundo? quin hic plura sunt, quae nisi eadem, simillima certe in capite secundo ac tertio legimus; quod equidem arbitror hoc modo factum esse. Grammaticus noster, cum in primo capite omnes enumerasset fructus, qui ex illa clementia Caesaris tum ad Ciceronem, tum ad ceteros senatores, tum ad ipsum M.

Marcellum pervenisse viderentur: homo scilicet omnia studiosissime perquirens, invenit eadem ratione *omnium Marcellorum* posse mentionem fieri ad eamque in IV nostro capite factam, veluti ad novum orationis initium, conatus est omnia annectere in capite secundo ac tertio perorata. Namque id sine dubio omnes concedent, illis: *Hunc tu igitur ... et comes*, negligentissime conscriptis, summam contineri verborum: *Affirmo ... propriam fatetur;* his autem: *quae quidem ... afferat laudibus*, aeque negligenter scriptis, illa exprimi: *Itaque ... suis sedibus*, ea tantum differentia, ut Cicero in his sermonem a posteris ad ipsos Caesaris aequales retulerit ac praeter gloriam e clementia etiam, qua hanc virtutem complecti soleamus, benevolentiam commemorarit; grammaticus vero nostro in loco tantum posteritatis ac gloriae rationem habuerit. Atque his ad Tulliana conformatis grammaticus levissima copula *et quidem* de suis etiam paucula quaedam addidit, studio sane mirabili, quaecunque ad Caesaris illam de se ipso victoriam efferendam excogitare potuit, omnia consignans. Nam primum quidem (fere ut in Cap. II. verbis: *Soleo* cet.) Caesarem dicit ceteros quidem omnes victores bellorum civilium iam ante aequitate et misericordia victos habuisse; illo vero die sese adeo ipsum vicisse, quae Weiskius bene interpretatur: „Eo die luculentius lenitatis suae documentum dedit, quam umquam antea." In sequentibus vero bonus noster Cicero, nimia sua novorum atque inauditorum cupiditate plane obcaecatus, misere se in dicendi arte tironem rudissimum mani[illegible]m, praeter-

quam quod sese in verbo *vincendi* sic implicavit, ut eo intervallo brevissimo undecies usus sit: infelicissime quasi omnium fortissima haec posuit: *Vereor — videris;* quae cum vix illis: *et ceteros quidem* paria sint: his: *hodierno* cet. certo multo inferiora sunt ac minora. Namque aperte Caesar etiam ante illum diem, quoties victis, quae victoria adepta erat, remiserat, toties, ut grammaticus dicit, ipsam victoriam vicerat; at vero illo die Marcello, acerbissimo et gravissimo hosti suo, quae victoria adepta erat, remittens, sese in ipsa victoria vincenda fortiorem praestitit quam unquam antea sive: *eo die sese ipsum vicit.* Nec tamen grammaticus hoc vidit, sed praeclarissimae sententiae suae altitudinem, ut videtur, ipse admirans vel adstupens, duplicem ei explicationem addidit: *Cum ea ipsa* cet. et: *Nam cum ipsius* cet. atque hinc in summum elatissimae laudationis fastigium escendit: *Recte igitur unus invictus es;* in quibus, ut ne quis ipsam etiam victoriam a Caesare victam oblivisceretur, hoc iterum commonefecit verbis: *a quo etiam ipsius* cet.

Nec vero post haec, opinor, mihi dabitur vitio, si singulorum in hoc capite notas praetereo, tantum id monens, quod tum in eo prorsus eadem est, quam in primo notavimus, singulorum dissolutio, vel si mavis, inepta conglutinatio, tum omnino omnia, quae grammatico tribuimus, summam inter se habent ac vere singularem similitudinem. Quod quoniam maxime in ipsa eorum percensione comparuit: hic mihi modo gravissima omnium et clarissima repetere liceat. Atque in iis primum illud pono eandem sen-

tentiam varie vel exprimendi vel explicandi studium in

Cap. I. 1. 2. *Diuturni sil. . . . dicendi:*	*Tantam enim* cet. *M. enim* cet. *Dolebam enim* cet.
Ibid. 3. Hic dies in vita Marcelli celeberrimus est ac laetissimus:	*Ille quidem fr ctum* cet. *Est vero fortunatus ille* cet.
Cap. II. 5. III. 8. IV. 10. Ex omnibus Caesaris factis gloriosissimis nullum est ei gloriosius quam restitutio Marcelli:	*Soleo saepe* cet. *Domuisti gentes* cet. *Equidem cum* cet.
Cap. IV. 12. *Ipsam victoriam vicisse videris:*	*Cum ea ipsa* cet. *Nam cum ipsius* cet.

Atque huc pertinet, quod grammaticus, bona malis aptaque ineptis certo dignoscere nescius, maximam ubique dat operam, ut, quaecunque de aliqua re proferri posse videantur, omnia proferat; de quo confer imprimis, quae ad omne I. et IV caput disseruimus et ista languide adiecta in cap. II. 7: *Nihil sibi ex ista laude* cet. et ibid.: *Nunquam enim temeritas* cet. et III. 9: *In iracundia praesertim* cet. Sed praeterea istam animadvertas, quae sibi in rebus et sententiis summopere exaggerandis placet, iuvenilitatem quandam et imprudentiam, cuius exempla sunt in cap. I. 3: *quis enim est illo* cet. III. 8: *Adversarium nobilitate ... sed etiam amplificare* cet. IV. 11: *Haec tua iustitia ... florescet quotidie magis* cet. Nec denique praetereamus ridiculam istam grammatici contrapositorum cupiditatem, quam in his admirati sumus I. 2: *Quanta in dato* cet.

III. 8: *Sed tamen ea vicisti ... animum* cet. IV. 11: *Huius autem rei tu idem et dux es et comes* et ibid.: *Quae quidem tanta ... at haec tua* cet. et: *Quantum operibus ... tantum afferat* cet. quin imo in his ille non solum peccat eodem modo, verum peccatis etiam medelam eandem adhibet. Nam, cum illis III. 8: *Sed tamen* cet. vere opposita sint: *Hodie vero ea vicisti, quae naturam et conditionem habebant, ut non possent vinci:* grammaticus, ne absurde loqueretur a contrapositorum legibus aberrans pro iis haec posuit: *Animum vincere* cet., idque quo minus deprehenderetur, haec interiecit: *Nulla est enim* cet. Quod prosus idem factum videmus in c. IV. 11: *Quae quidem* (sc. res seu restitutio Marcelli) *tanta est, ut* cet. quibus opponi debebat: *Ipsi vero* (i. e. restitutioni Marcelli) *nulla unquam allatura finem sit aetas!!* sed grammaticus, hoc quidem ipse nimis ineptum esse subsentiens, aliena ista nec multo minus inepta dedit: *At haec tua iustitia,* iis etiam callide alia quaedam vocabulo *enim* interiiciens: *Nihil enim est* cet. in quo animadvertendum est, quod Lactantius I. 9. verba cap. III. 8. laudans, in iis etiam *at* habet: *At animum vincere* cet.

Sed iam videor mihi finem facere posse dissertationis, cum, quod erat propositum, et argumenta de oratione nostra prolata omnia percensuerim et, quod in ipsa est, generis dicendi specimen sat longum dederim. Meam vero de hac re sententiam non putavi mihi in tota oratione esse exponendam, quando cognosci et iudicari vel ex his IV capitibus potest, quod in praesentia unum volui. Si firmis argumentis, non esse probam demon-

strabitur: non ego eam pertinacius defendam, sed meliora libenter prosequar; sin viri docti censebunt, bonam esse orationemque posse hoc modo in integrum restitui, (quanquam, quin id ex omnium sententia fieri possit, dubito): vel mihi vel alii cuilibet etiam posthac licebit in reliquis capitibus assiduitatis ac felicitatis periculum facere. Verum, si futura mittimus, hoc iam ausim pro certissimo affirmare: viros doctos aut esse mihi assensuros, aut totam orationem spuriam iudicaturos; nam totam genuinam iudicare, ut nunc se res habet, nulli poterunt.

Haec vero sunt ipsa, quae in his IV capitibus Ciceroni tribui posse censui:

Nullius tantum est flumen ingenii, nulla dicendi aut scribendi tanta vis, tanta copia, quae, non dicam exornare, sed enarrare, C. Caesar, res tuas gestas possit. Tamen affirmo, et hoc pace dicam tua, nullam in his esse laudem ampliorem, quam eam, quam hodierno die consecutus es. Nam bellicas laudes solent quidam extenuare verbis easque communicare cum multis, ne propriae sint imperatorum. Et certe in armis militum virtus, locorum opportunitas, auxilia sociorum, classes, commeatus multum iuvant; maximam vero partem, quasi suo iure, Fortuna sibi vindicat et, quicquid est prospere gestum, id paene omne ducit suum. At vero huius gloriae, C. Caesar, quam es paullo ante adeptus, socium habes neminem: totum hoc, quantumcunque est, quod certe maximum est, totum est, inquam, tuum: quin etiam illa ipsa rerum humanarum domina, Fortuna, in istius se societatem gloriae non offert, tibi cedit,

tuam esse totam et propriam fatetur. Itaque, C. Caesar, bellicae tuae laudes celebrabuntur illae quidem non solum nostris, sed paene omnium gentium literis atque linguis, neque ulla unquam aetas de tuis laudibus conticescet; sed tamen eiusmodi res, nescio quomodo, etiam cum leguntur, obstrepi clamore militum videntur et tubarum sono; at vero, cum aliquid clementer, mansuete, iuste, moderate, sapienter factum audimus aut legimus: quo studio incendimur, non modo in gestis rebus, sed etiam in fictis, ut eos saepe, quos nunquam vidimus, diligamus! Te vero, quem praesentem intuemur, cuius mentem sensusque eos cernimus, ut quicquid belli fortuna reliquum reipubl. fecerit, id esse salvum velis, quibus laudibus efferemus? quibus studiis prosequemur? qua benevolentia complectemur? parietes, medius fidius, ut mihi videtur, huius curiae tibi gratias agere gestiunt, quod brevi tempore futura sit illa auctoritas in his maiorum suorum et suis sedibus.